



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Tractatvs XXVI. De Pœnitentia in quantum est virtus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

illuminet cæcum. Ideo tot sanavit cæcos, claudos, & aridos, ne desperet de se peccator. Ideo non legitur aliquem, nisi semel sanasse, ut quilibet timeat iungi peccato. Medicum se vocat, & non sanis, sed malè habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum nesciret curare? Medicorum est centies infirmum, centies curare, qui cæteris minor esset, si alijs possibilis ignoraret.

TRACTATUS XXVI.

De Pœnitentia in quantum est virtus.

QVÆSTIO CCXXX.

Vtrum Pœnitentia sit virtus?

1. Videtur non esse: primò quia nullum aliud sacramentum est virtus, vel includit vt partem sui constitutiua actum virtutis; ergo neque sacramentum pœnitentiæ est virtus, neque includit actum virtutis.

2. Secundo ex Aristotele lib. 4. Ethicor. cap. 9. & vitimo, idèo verecundia non est virtus, quia est passio quædam appetitus sensitivi, cum quadam corporis mutatione, nimirum cum rubore: siquidem qui verecundantur, rubescunt; sed etiam pœnitentia est passio appetitus sensitivi cum corporis immutatione, hoc est cum fletu, iuxta illud Gregorij homil. 34. in Euangelia: pœnitentia est peccata præterita plangere: ergo &c.

3. Tertiò ex eodem Aristotele loco citato, idèo verecundia non est virtus, quia cum virtus 7. Physic. t. 17. definiatur dispositio perfecti ad optimum, verecundia non est dispositio perfecti, sed imperfecti, cum sit de actu turpi, ac proinde supponat in subiecto actum turpem: sed etiam pœnitentia supponit actum turpem & peccaminosum: ergo neque pœnitentia est virtus.

4. Quartò nulla virtus supponit essentialiter in subiecto suum contrarium; sed pœnitentia supponit essentialiter in subiecto suo contrarium, hoc est peccatum; ergo pœnitentia non est virtus.

5. Quinto in Christo fuerunt omnes virtutes; sed in Christo non fuit pœnitentia: ergo pœnitentia non est virtus.

6. Sextò ex Aristotele 4. Ethic. nullus est stultus eorum, qui sunt secundum virtutem; sed stultum est dolere de peccato præterito, quod non potest amplius non esse commissum: ergo &c.

7. Respondeo, quod vt docet Sanctus Thomas hoc art. 1. quæst. 85. pœnitere est de aliquo prius à se factò dolere. Hinc sequitur, quod pœnitere in genere abstrahit ab hoc, quod sit actus honestus, vel inhonestus, virtutis, aut vitij. Pœnitere enim, ac dolere

de aliquo à se prius benè factò, est inhonestum, & peccaminosum: ex. gr. si aliquem pœnitet, quod conuersus fuerit ad fidem catholicam, grauissimè peccat.

8. Quæritur, vtrum pœnitere, & dolere de malè à se factis, hoc est de peccatis à se commissis, sit actus honestus, laudabilis, & virtuosus, & vtrum habitus dolendi de peccatis à se ante commissis sit habitus virtutis?

Respondet Sanctus Thomas duplicem esse dolorem, & tristitiam de malè factis. Primus dolor est quædam passio appetitus sensitivi, cum quadam immutatione corporis, puta cum fletu, suspirijs &c. & hic dolor non est actus virtutis, sed potest esse materia virtutis, eo pacto, quo ira, & aliæ passionès appetitus sensitivi non sunt actus, sed materia virtutum, in quantum per virtutem redigi possunt ad debitam mediocritatem. Secundus est dolor voluntatis: & cum voluntas deliberatè, & ex electione dolet de peccatis commissis, cum mediocritate, modo, & sine, quem præscribit recta ratio, talis dolor est actus virtuosus, honestus, laudabilis, & habitus sic dolendi est virtus.

9. Probat: nam virtus habitualis ex Aristotele 2. ethic. cap. 2. & 6. definitur, habitus electiuus secundum rationem rectam; sed habitus deliberatè dolendi de peccatis, prout recta ratio præscribit, est habitus electiuus doloris secundum rectam rationem: ergo talis habitus est virtus habitualis, & actus, quo voluntas dolet deliberatè de peccatis commissis, prout recta ratio præscribit, est actus virtuosus. Hinc sequitur pœnitentiam, de qua hic cum Theologis loquimur, esse virtutem habitualem, vel esse actum virtutis. Nominè enim pœnitentiæ intelligimus, qua quis assumit moderatum dolorem de peccatis à se commissis ex intentione, & sine illa destitendi, & emendandi; sed habitus assumendi talem dolorem est habitus virtutis, actus assumendi eundem dolorem, est actus virtuosus: ergo pœnitentia, de qua hic loquimur, est vel virtus habitualis, vel actus virtutis, vt magis explicabitur qu. 132. in qua agitur de obiecto formali, ac de alijs spectantibus ad habitum, & actum pœnitentiæ.

10. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Sicut non valet: cætera animalia non sunt rationalia; ergo neque homo est rationalis: cætera sacramenta non habent pro materia vllum ex quatuor elementis: ergo neque baptismus habet pro materia aquam, quæ est vnum ex quatuor elementis: sic non valet: cætera sacramenta non habent pro materia actum virtutis: ergo neque sacramentum pœnitentiæ habet pro materia actum virtutis. Ratio est, quia sicut Deus voluit eleuare aquam ad hoc, vt esset materia baptismi, & cum forma causaret gratiam, sic voluit eleuare actum virtutis, quo pœnitens dolet de peccatis commissis, eaque confitetur, & pro ijs satisfacit, ad hoc,

Ecc vt

Tom. III.

vt fit materia sacramenti pœnitentiæ, & cum absolutione, quæ est forma, causet gratiam. Proculdubio autem non apparet minor aptitudo, & conuenientia ad hoc, vt actus virtutis eleuetur ad materiam sacramenti, quam ad hoc, vt ablutio per aquam eleuetur ad materiam sacramenti.

11. Ad 2. Argumentum probat solum, quod sicut verecundia, in quantum est passio appetitus sensitui, qua quis dum facit, aut patitur quæ videntur turpia, timet infamiam, ideoque rubescit, non est virtus, sic pœnitentia, in quantum est passio appetitus sensitui non est virtus, quod vitro concedimus: at non probat pœnitentiam, in quantum includit electionem rectam voluntatis, non esse virtutem, quod solum negamus.

12. Ad 3. distinguo maiorem: ex Aristotele ideo verecundia non est virtus, quia supponit in subiecto actum turpem, vt præsentem, ac proinde non est dispositio perfecti, sed imperfecti, concedo; quia supponit actum turpem, vt præteritum, nego; distinguo eodem pacto maiorem; & nego consequentiã. Verecundia est, per quam quis ex timore infamiæ verecundatur de turpitudine vt præfenti; sed est contra rationem virtutis, quod supponat turpitudinem vt præsentem: nam eo ipso non potest per eam subiectum consistui perfectum; ergo verecundia non est virtus, licet possit disponere ad virtutem: siquidem ex eo, quod quis, dum facit, aut patitur turpia, verecundatur, disponitur ad illa non amplius facienda, vel patienda, adeoque verecundia habet aliquam laudabilitatem. Pœnitentia è conuerso dolet de peccatis præteritis, ac proinde supponit turpitudinem vt præteritam, ac potest talem turpitudinem auferendo, subiectum reddere perfectum, non solum auferendo malum, sed etiam promouendo bonum, vt infra magis explicabitur, ac proinde est dispositio perfecti; sed non est contra rationem virtutis, vt supponat turpitudinem peccati vt præteritam, quam auferendo, reddat subiectum perfectum, non solum auferendo malum, sed etiam promouendo bonum: ergo &c.

13. Ad 4. distinguo maiorem: nulla virtus est talis, vt supponat in subiecto suum contrarium vt præfens, concedo; vt præteritum, nego: distinguo eodem pacto maiorem; & nego consequentiã. Pœnitentia ex dictis supponit peccatum, non vt præfens, sed vt præteritum, ita vt tendat ad illud destruendum, non solum auferendo malum, sed promouendo bonum: non est autem contra rationem virtutis, quod supponat suum contrarium vt præteritum, sed solum est contra rationem virtutis, quod supponat suum contrarium vt præfens.

14. Ad 5. nego maiorem: nam in Christo non fuit fides, neque spes, quæ non solum sunt virtutes, sed sunt virtutes theologice: ergo non est mirum, quod in Christo non

fuerit pœnitentia, quæ non est virtus theologica, vt infra explicabitur. In Christo ergo fuerunt solæ virtutes, quæ decet ipsum, eo quod non supponant aliquam imperfectionem, quæ Christum dedecet; sed fides, & spes supponit in subiecto negationem visionis Dei, pœnitentia supponit in subiecto negationem impeccabilitatis, quæ negationes sunt imperfectiones dedecetes Christum; ergo &c.

15. Ad 6. concedo maiorem, & distinguo maiorem: stultum est dolere de præterito, cum intentione conandi, vt factum non fuerit, concedo; cum intentione amouendi mala ab ipso relicta, ni mirum offensam habitabilem Dei, & reatum pœnæ, nego maiorem; & nego consequentiã. Per pœnitentiam ita detestamur peccata præterita, vt habeamus intentionem conandi, non vt nõ peccauerimus; siquidem hoc apparet vt impossibile, ac proinde hic conatus esset stultus; sed vt solum velimus auferre perseverantiam moralem peccatorum quoad culpam, & pœnam, quæ ablatio est possibilis ex gratia &c.

16. Debet aduertiri, quod vt refert Bellarminus lib. 2. de pœnitentia, cap. 4. Lutherus initio suæ defectionis ab Ecclesia, in sermone de pœnitentia, inter alia paradoxa fidei catholice contraria circa pœnitentiam, duo docuit. Primum est, quod ad pœnitentiam sufficit, vt homo imposterum caueat à peccato, nec requiritur, vt detestetur peccata præterita. Ideo asseruit verissimum esse prouerbium illud, & melius quacumque doctrina hæcenus circa pœnitentiam tradita, optima pœnitentia noua vitata. Secundum est, quod detestatio peccatorum præteritorum facit hominem magis peccatorem, & hypocritam, ideoque est mala, & fugienda. Eandem, vel similem hæresim docuerant ante in Hispania hæretici, qui dicti sunt illuminati. Contra hos errores de fide est ex Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 1. & 4. & can. 5. de ratione pœnitentiæ esse non solum propositum non peccandi in futurum, sed etiam detestationem peccatorum præteritorum, & hanc detestationem esse honestam, ac Deo gratam, ac non reddere hominem magis peccatorem, & hypocritam. Ratio est, quia gaudere de malo malum est, & vituperabile: ideo à Scriptura reprehenditur, cum proverb. 2. dicitur: *Letantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*: ergo dolere de malo commissio bonum est, & laudabile. Nam id, cuius contrarium est malum, bonum est, vt docet Aristoteles. Ideo Scriptura sapè laudat, suadet, & præcipit dolere, & pœnitentiam de peccatis commissis. Videari potest Bellarm. loco citato.

QVAESTIO CCXXXI.

Utrum omnes virtutes possint elicere actum penitentiae?

1. **V**identur non posse. Si enim omnes virtutes possent elicere actum penitentiae, frustranea esset specialis virtus distincta à reliquis, quæ haberet pro fine elicere actus penitentiae; sed hæc virtus specialis non est frustranea, sed admittitur à S. Thoma hæc quæst. 85. art. 2. & à Theologis communiter: ergo.

2. **R**espondeo omnes, vel penè omnes virtutes voluntatis posse elicere actus penitentiae. Ratio est, quia actus penitentiae est dolor de peccato commisso propter eius turpitudinem, cum proposito non amplius committendi tale peccatum; sed omnes, vel penè omnes virtutes possunt elicere actum, quo doleant de peccato commisso, propter eius turpitudinem, cum proposito non amplius peccandi: ergo &c. Probatur minor: nam omnes virtutes ex amore proprii obiecti formalis possunt odisse oppositam malitiam, & turpitudinem: ex. gra. temperantia ex amore honestatis propriæ potest odisse malitiam, & inhonestatem oppositam intemperantiæ; fortitudo ex amore propriæ honestatis potest odisse malitiam, & inhonestatem oppositam timiditatis: ergo potest homo per virtutem temperantiæ ex amore honestatis temperantig colere de peccato commisso contra temperantiam, propter illius peccati turpitudinem oppositam temperantiæ, cum proposito non amplius committendi tale peccatum. Idem dicere reliquis virtutibus: ergo.

3. **D**ixi, quod omnes, vel penè omnes virtutes voluntatis possunt elicere actum penitentiae. Ratio est, quia ut dicitur quæst. 132. datur specialis virtus penitentiae, cuius virtutis omnes actus supponunt subiectum commississe aliquod peccatum: ergo fortasse est possibilis, & de facto datur in Christo aliqua specialis virtus innocentiae, cuius omnes actus supponant essentialiter in subiecto omnimodam innocentiam; sed talis virtus, eo ipso non posset elicere actum penitentiae, quippe qui supponit in subiecto aliquod peccatum: ergo fortasse datur aliqua virtus, quæ ex speciali ratione non possit elicere actum penitentiae.

4. **D**icendum secundò: ex virtutibus voluntatis aliqua possunt elicere actus penitentiae de omnibus peccatis, alia de aliquibus tantum.

Probatur: nam virtutes ex amore proprii obiecti formalis possunt odisse, & detestari solum malitiam, & turpitudinem oppositam tali obiecto formali; sed omnia peccata habent malitiam, & turpitudinem oppositam obiecto formali aliquarum, non autem omnium virtutum: ergo aliqua virtutes pos-

sunt elicere actus penitentiae detestatiuos omnium peccatorum, cum omnia peccata habeant turpitudinem oppositam obiecto formali talium virtutum: alia autem virtutes possunt elicere actus penitentiae detestatiuos aliquorum tantum peccatorum, cum aliquarum peccata habeant malitiam oppositam obiecto formali talium virtutum.

5. **C**onfirmatur, & explicatur. Nam primò charitas habet pro obiecto formali diuinam bonitatem, quam amat propter se; sed omnia peccata opponuntur diuinæ bonitati; ergo charitas ex motu diuinæ bonitatis propter se amatæ potest elicere actus penitentiae detestatiuos omnium peccatorum. Secundò spes habet pro obiecto formali omnipotentiam, & fidelitatem Dei promittentis, & hoc obiecto formali innixa, sperat æternam beatitudinem ut obiectum materiale primarium; sed omnia peccata auertunt ab æterna beatitudine: ergo spes potest elicere actum penitentiae de quolibet peccato. Tertio religio amat ut obiectum formale honestatem dandi Deo cultum debitum ratione supremæ excellentiæ; sed omnia peccata opponuntur cultui diuino; ergo religio ex amore sui obiecti formalis potest elicere actum penitentiae detestatiuum omnium peccatorum. Quarto obedientia amat ut obiectum formale honestatem obediendi Deo; sed omnia peccata opponuntur obedientiæ diuinorum præceptorum, & habent turpitudinem inobedientiæ: ergo obedientia ex amore sui obiecti formalis potest elicere actum penitentiae detestatiuum omnium peccatorum. Quintò iustitia erga Deum habet pro obiecto formali honestatem conseruandi illatum ius diuinum, quod Deo conuenit ratione supremi dominij; sed omnia peccata sunt læsua iuris diuini, ut dictum est quæst. 7. de Incarnatione, ac proinde omnia peccata habent turpitudinem iniustitiæ: ergo iustitia ex amore proprii obiecti formalis potest elicere actus penitentiae detestatiuos omnium peccatorum. Sextò fortasse datur quædam virtus amans ut obiectum formale honestatem habendi pacem cum Deo; sed omnia peccata opponuntur paci cum Deo: ergo hæc virtus ex amore proprii obiecti formalis potest elicere actus penitentiae detestatiuos omnium peccatorum.

6. **E**x alia parte temperantia habet pro obiecto formali honestatem seruandi mediocritatem quandam in delectabilibus gustus, & tactus; sed licet omnia peccata intemperantiæ habeant turpitudinem oppositam tali honestati, tamen multa alia peccata, puta homicidia, blasphemias &c. non habent turpitudinem oppositam honestati seruandi mediocritatem circa delectabilia gustus, & tactus; ergo temperantia ex amore proprii obiecti formalis potest quidem elicere actus penitentiae detestatiuos malium peccatorum intemperantiæ, sed non potest elicere actus penitentiae detestatiuos omnium peccatorum. Idem



proportionaliter dic de fortitudine, liberalitate &c. Cum enim non omnia, sed aliqua solum peccata habeant turpitudinem oppositam honestati temperantiae, fortitudinis, liberalitatis &c. temperantia, fortitudo, liberalitas &c. possunt elicere actus poenitentiae detestatiuos aliquorum, non autem omnium peccatorum.

7. Infertur primò, quod sicut nomen animal non significat speciem specialissimam, animalis, sed significat genus commune omnibus animalibus, sic nomen habitus, seu virtutis elicitiuae actuum poenitentiae, non significat speciem specialissimam virtutis, sed significat genus commune omnibus, vel penè omnibus virtutibus voluntatis.

8. Infertur secundo virtutes elicitiuas actuum poenitentiae posse diuidi in tres classes. In prima classe est virtus, quae potest elicere actum poenitentiae ita perfectum, vt possit obtinere remissionem omnium peccatorum, etiam sine sacramento re ipsa suscepto; & talis virtus est sola charitas. Sola siquidem charitas ex motiuo Dei super omnia dilecti potest elicere perfectum actum poenitentiae, & contritionis remissionem omnium peccatorum, etiam sine sacramento re ipsa suscepto. In secunda classe sunt virtutes vniuersales, quae possunt elicere actus poenitentiae, & attritionis sufficientes ad obtinendam remissionem peccatorum in sacramento baptismi, & poenitentiae re ipsa suscepto. In hac classe sunt omnes, & solae virtutes supernaturales, quae ex amore proprii obiecti formalis possunt elicere actus poenitentiae detestatiuos omnium peccatorum mortalium. Ratio est, quia ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium in sacramento, requiritur, & sufficit poenitentia, quae ex motiuo supernaturali detestetur efficaciter omnia peccata mortalia commissa, cum proposito non amplius committendi vllum peccatum mortale; sed talis actus poenitentiae potest elici ab ijs solum virtutibus, quae ex amore proprii obiecti formalis possunt detestari omnia peccata; ergo &c. In tertia classe sunt temperantia, fortitudo, & aliae virtutes magis particulares, & restrictae, quae possunt elicere actus poenitentiae detestatiuos non omnium, sed solum aliquorum peccatorum mortalium. Cum enim non possint elicere actum poenitentiae vniuersalem cum proposito nunquam amplius peccandi, sed solum actum poenitentiae particularem, cum proposito non amplius peccandi in propria materia talium virtutum, non possunt elicere actum poenitentiae sufficientem ad obtinendam remissionem peccatorum in sacramento.

9. Ad argumentum in contrarium, nego sequelam; Quoties datur specialis honestas praesertim difficilis ad illam propter se amandam, dari debet specialis virtus; sed ultra honestates, quae propter se amantur ab alijs virtutibus, datur specialis honestas propter se

amabilis à poenitentia; ergo dari debet specialis virtus poenitentiae, vt explicabitur quaestione sequenti.

QUESTIO CCXXXII.

Verum poenitentia sit virtus specialis, habens pro obiecto formali honestatem operandi ad destructionem peccati commisi?

S. Thomas quest. 83. art. 2.

1. Videtur talis virtus esse impossibilis: primo quia vt arguit Caietanus in Commentario huius art. 2. omnis virtus potest exercere suum actum etiam in homine innocente, & nulla est virtus, quae vt exercat suum actum, praerquirat, vt exercens peccauerit; sed virtus habens pro obiecto formali honestatem operandi ad destructionem peccati commisi, vt exerceret suum actum, praerquireret, vt exercens peccauerit, ac non posset exercere suum actum in homine innocente: nam homo innocens non potest operari ad destructionem peccati commisi; ergo talis virtus est impossibilis.

2. Secundo vt arguit idem Caietanus, in nobis ita insita sunt semina omnium virtutum, vt possimus ex recta ratione, cum auxilio gratiae exercere actus earum, & sic omnes virtutes acquirere, & non sit necessarium peccare ad acquirendam vllam virtutem; sed non posset homo exercere actus huius virtutis specialis, qui actus est operari ad destructionem peccati, & sic illam acquirere, nisi ante peccaret; ergo haec virtus est impossibilis.

3. Tertio in Christo fuerunt omnes virtutes; sed in Christo non fuit virtus, cuius omnes actus supponerent essentialiter peccatum commissum, & operarentur ad eius destructionem; ergo haec virtus est impossibilis.

4. Quarto qui amat aliquod obiectum formale, amat omnia, sine quibus dari nequit tale obiectum formale; sed bonum operandi ad destructionem peccati dari nequit nisi praecesserit peccatum; ergo virtus habens pro obiecto formali bonum operandi ad destructionem peccati, amaret peccatum; quod est absurdum.

5. Quinto repugnat virtus poenitentiae, quae non possit facere actum, quo dicat nullum commississe vllum peccatum; sed haec specialis virtus non posset facere hunc actum; ergo &c. Probatur minor; nam virtus ex amore sui obiecti formalis non potest nolle, vt non existerit id, sine quo non potuisset existere tale obiectum formale; sed si nullum extitisset peccatum, non existeret obiectum formale poenitentiae; hoc est honestas operandi ad destructionem peccati; ergo &c.

6. Sexto ad virtutem non sufficit, vt

exclusiva mali, sed requiritur ulterius, ut sit promotiva boni; sed virtus intendens ut obiectum formale honestatem operandi ad destructionem peccati, esset solum exclusiva mali, & non esset promotiva boni; ergo &c. Probatur maior: nam virtus est habitus ordinatus ad promouendum bonum naturæ, & ad faciendum, ut natura per habitum virtutis melius se habeat, quam secundum se præcisè, ideoque definitur 7. physic. textu 17. *dispositio perfecti ad optimum.*

7. Septimo non datur specialis virtus, quæ ita habeat pro obiecto formali bonum restituendi, ut non possit exercere suum actum, nisi supposito furto, ideoque eadem virtus iustitiæ, quæ intendit bonum restituendi ablatum, intendit etiam bonum conferuendi æqualitatem, & non furandi; ergo non datur virtus specialis ita habens pro obiecto formali bonum operandi ad destructionem peccati, ut non possit exercere suum actum, nisi supposito peccato, sed eadem virtus, quæ intendit bonum destruendi peccatum, intendit etiam bonum non peccandi.

8. Octauo non datur virtus specialis intendens operari ad destructionem offensæ factæ homini, sed eadem virtus, quæ ut seruet pacem cum homine, non offendit hominem, ad refarciendam pacem, intendit compensare offensas factas homini; ergo neque datur virtus specialis intendens compensare offensas factas Deo, sed eadem virtus, quæ ad habendam pacem cum Deo, non offendit Deum, postquam homo Deum offendit, operatur ad Deum placandum.

9. Nono iustitia, religio, & aliæ virtutes possunt intendere bonum operandi ad destructionem peccati commissi; ergo non requiritur specialis virtus penitentiæ intendens hoc bonum. Probatur antecedens. Iustitia intendit bonum æqualitatis cum iure diuino; sed per peccatum constituitur inæqualitas contra ius diuinum; ergo iustitia intendit destructionem peccati; religio intendit dare Deo debitum cultum; sed ad cultum Deo debitum spectat, ut compensentur peccata commissæ; ergo &c.

10. Respondeo virtutes voluntatis esse habitus, quibus voluntas gratia sui amat, & intendit bona honesta per se amabilia. Hinc sequitur tot esse species virtutum, quot sunt species bonorum honestorum per se amabilium: siquidem quælibet species honesti per se amabilis potest fundare, & specificare virtutem, quæ illud bonum amet gratia sui; & quia sunt innumeræ species bonorum per se amabilium, innumeræ sunt species virtutum, ut docet Hieronymus, vel potius Paulinus episcopus. 14. ad Celsantiam, dicens: *Infinite namque species, partesque iustitiæ, quas non modo stylo persequi, sed cogitatione etiam capere difficillimum est.* Homo igitur debet conari, ut gratia sui amans omnia bona per se amabilia acquirat omnes virtutes, & sic euadat moraliter per-

fectus, ac benè dispositus ad omnia bona honesta. Porro sicut homo naturali lumine rationis cognoscere potest principia speculatiua, puta quod omne totum est maius sua parte, quod quatuor, & tria faciunt septem &c. sic cognoscere potest principia practica: & quia bona honesta propter se amabilia sunt principia practica, homo naturali lumine rationis potest cognoscere bona honesta per se amabilia, quæ sunt obiecta formalia virtutum, puta quod honestum est dare unicuique ius suum, quod est obiectum formale iustitiæ; quod honestum est seruare mediocritatem in delectabilibus gustus, & tactus, quod est obiectum formale temperantiæ. Ideo David psalmo 2. cum dixisset, *multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* honesta nimirum, respondet interrogationi, *signatum est super nos lumen vultus tui*, quia nimirum naturali lumine rationis, quod est participatio luminis diuini, cognoscimus bona honesta amabilia propter se.

11. Ex bonis honestis amabilibus gratia sui, quædam sunt magis, quædam minus vniuersalia. Proportionaliter ex virtutibus quædam sunt magis, quædam minus vniuersales ratione obiecti formalis. Explicatur. Sicut turpe est excedere modum, sic honestum est seruare mediocritatem in delectationibus sensibilibus; sicut specialiter turpe est excedere modum in delectationibus gustus, & tactus, quas solas quærunt bruta animalia, & quæ proinde sunt maximè brutales, sic specialiter honestum est seruare mediocritatem in delectationibus gustus, & tactus. Demum sicut turpissimum est excedere modum in delectationibus tactus, sic specialissimè honestum est seruare debitum modum in delectationibus tactus. Hinc possumus distinguere tres virtutes ex obiecto formali. Prima, & magis vniuersalis ex obiecto formali est, quæ per se amat, & intendit honestatem generalem seruandi modum in delectationibus sensibilibus. Secunda minus vniuersalis est, quæ amat, & propter se intendit honestatem minus vniuersalem seruandi modum in delectationibus gustus, & tactus; & hæc vocatur temperantia. Tertia adhuc minus vniuersalis est, quæ propter se amat, & intendit honestatem ponendi modum in delectationibus tactus, & hæc vocatur castitas; atque huic correspondet virtus opposita vitio gula, quæ virtus amat honestatem ponendi modum in delectationibus gustus. Datur etiam specialis virtus innominata ponendi mediocritatem in delectationibus visus; alia virtus specialis ponendi modum in delectationibus auditus; alia ponendi modum in delectationibus odoratus, quæ virtutes sunt minus necessariæ: siquidem in vitijs earum contrarijs difficile est grauius peccare, cum facillimum sit peccare grauius in delectabilibus gustus, & tactus.

12. Debet aduerti, quod etiam ab obie-

ais formalibus generalissimis possunt specificari actus, & habitus specialissimi intellectus, & voluntatis. Patet. Nam ens est obiectum vniuersalissimum, & tamen cognitio, qua dico ens, est cognitio in specie specialissima; & metaphysica, quae est scientia specialissima, habet pro obiecto ens vt ens. Proportionaliter virtus voluntatis habens pro obiecto formali honestatem vniuersalem ponendi mediocritatem in delectationibus sensibilibus, licet sit vniuersalis ex parte obiecti formalis, tamen est virtus ex se specialissima. Temperantia est alia virtus specialissima per se intendens honestatem vniuersalem ponendi modum in delectationibus gustus, & tactus; & castitas est alia virtus specialissima per se intendens honestatem minus vniuersalem ponendi modum in delectationibus tactus. Haec autem doctrina est diligenter aduertenda ad vitandas æquiuationes.

13. Potest quæri, vtrum sicut datur metaphysica, quae est scientia specialissima circa obiectum vniuersalissimum, hoc est circa ens, vt ens, sic detur virtus specialis per se intendens honestum vt sic, sub vniuersalissima ratione honesti?

Respondeo negatiuè, vt videntur supponere communiter scholastici. Ratio est, quia virtus est dispositio perfecti ad optimum, ac proinde datur solum ad ea, ad quae natura secundum se præcisè non est perfectè disposita, sed est aliquantulum indispota; sed natura secundum se præcisè nullam habet indispotionem ad honestum vt sic, sed solum ad specialia honesta; ergo &c. Probatur minor: nam nihil datur retrahens ab amore honesti vt sic, & alliciens ad inhonestum vt sic, ideoque omnes naturaliter amant honestum vt sic, & odio habent inhonestum vt sic. E conuerso dantur multa retrahentia ab honestis specialibus. Ex. gra. est specialiter honestum dare vnicuique id, quod illi debetur: at ad amandum hoc honestum sumus naturaliter indispoti, & propensi ad retinendam nobis id, quod debetur alijs, ideoque dari debet virtus iustitiæ, qua disponamur ad amandam illam specialem honestatem, & ad vincendam inclinationem oppositam retinendi nobis, quod debemus alijs. Similiter sumus naturaliter propensi ad amandos excessus in delectationibus sensibilibus, præsertim gustus, & tactus, ac proinde sumus indispoti ad amandam honestatem ponendi modum in delectationibus sensibilibus, ideoque requiritur virtus temperantiæ, qua disponamur ad amandum modum in delectationibus sensibilibus, & ad vincendam inclinationem contrariam. Ad exemplum metaphysicæ dico, quod intellectus humanus propter sensus, qui versantur circa singularia sensibilia, est naturaliter indispoti ad cognoscendum ens vt ens in vniuersali, ideoque dari debet metaphysica scientia specialis circa obiectum vniuersalissimum, hoc est circa ens, vt ens.

14. His præmissis, ad propositam quaestionem dicendum cum s. Thoma hac quaest. 83, art. 2. Datur virtus specialis habens pro obiecto formali honestatè operandi ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati commissi: & hæc virtus est poenitentia specialis, & formalis. Conclusio habet duas partes. Prima de re est, quod datur hæc specialis virtus. Secunda magna ex parte de nomine est, quod hæc virtus est poenitentia specialis, & formalis.

Probatur igitur prima pars. Nam iuxta principia posita omnis specialis honestas, præsertim difficilis, & obuia, & cui repugnat motiuum validum fundans vitium speciale, specificat specialem virtutem; sed datur specialis honestas operandi ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati commissi, & hæc honestas est difficilis, & obuia, illique repugnat motiuum validum fundans vitium speciale: ergo &c. Probatur minor. Et primo quidem licet est specialiter honestum compensare beneficium acceptum alio beneficio, reddendo bonum pro bono, & hæc honestas est valde obuia, & per se intenditur à gratitudine, quae est virtus specialis, sic est specialiter honestum compensare malum factum, & illatum, operando ad illius destructionem, emendationem, & compensationem, faciendo bonum loco mali, & hæc honestas est valde obuia, & intenditur à virtute speciali. Secundo difficile, & arduum est operari ad destructionem peccati commissi, illudque retractare. Vnuiquisque enim ex amore sui ipsius inclinatur ad approbandum id, quod fecit, & ad non damnandum se ipsum, tanquam malefecerit. Tercio huic honestati repugnat motiuum validum non condemnandi se ipsum, ac non retractandi quod fecit, in quo motiuo fundatur vitium speciale, quod vocari potest impoenitentia, siue obstinatio in malo, quod quis fecit, cuius actus est nolle reprobare mala, quae quis fecit. Confirmatur. Nam tanta est difficultas reprobandi mala, quae quis fecit, & condemnandi se ipsum, vt propter hanc difficultatem Angeli sunt incapaces operandi ad destructionem peccati commissi, ac proinde sunt obstinati in malo, vt cum Sancto Thoma 1. p. quaest. 64, art. 2. docent communiter Theologi, & nos diximus tomo 1. qu. 188. ergo dubitari nequit, quod ad vincendam hanc difficultatem requiratur virtus specialis opposita vitio speciali impoenitentiae, siue obstinationis in malo.

15. Probatur iam secunda pars. Nam sicut virtus specialis intendens vt obiectum formale honestatem specialem operandi ad compensandum beneficium acceptum, est gratitudo specialis, & formalis, sic virtus specialis intendens vt obiectum formale specialem honestatem operandi ad destructionem, & compensationem peccati commissi, est poenitentia specialis, & formalis: alia autem

virtutes operantes ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati commissi, sed non intendentes vt obiectum formale honestatem operandi ad destructionem peccati, non sunt penitentia formalis, & specialis, sed solum materialis, eo pacto, quo virtutes operantes ad compensandum beneficium, sed non intendentes vt obiectum formale honestatem compensandi beneficium, non sunt gratitudo formalis, sed materialis.

16. Confirmatur primo: nam iustitia formalis est, quæ ponit aequalitatem cum iure alterius, intendens vt obiectum formale ipsam honestatem ponendi talem aequalitatem: ergo penitentia formalis est, quæ operatur ad destructionem peccati, intendens vt obiectum formale honestatem talis destructionis.

17. Confirmatur secundo. Nam Scripturæ, & Patres, cum proponunt honestatem specialem penitentia, & ad illam exhortantur, dicentes *penitentiam agite: facite fructus dignos penitentia* &c. proponunt honestatem operandi ad destructionem peccati; ergo virtus specialis intendens vt obiectum formale hanc honestatem, est penitentia formalis, & specialis. Ideo Sanctus Thomas hoc art. 2. probaturus penitentiam esse virtutem specialem, probat solum dari specialem virtutem, quæ intendit vt obiectum formale honestatem operandi ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati commissi: hoc autem probato, assumit tanquam principium per se evidens, quod hæc virtus est penitentia formalis.

18. Infertur primo, quod sicut gratitudo, quæ est virtus compensandi beneficia accepta, ita supponit beneficium acceptum, vt non possit exercere suum actum primarium, qui est velle compensare beneficium acceptum propter honestatem compensandi, nisi acceperit beneficium; sic penitentia, quæ est virtus destruendi, emendandi, & compensandi peccata commissi, supponit peccata commissi, ac non potest exercere suum actum primarium, nisi ex suppositione, quod exercens commiserit aliquod peccatum.

19. Infertur secundo, quod sicut est specialiter honestum perseverare in bono, ideoque perseverantia est virtus specialis habens pro obiecto formali hanc specialem honestatem, ex eaque perseverans in bono, & vincens specialem difficultatem perseverandi ortam ex volubilitate naturæ humanæ, per quam inclinamur ad bonum apparens mutationis; sic est specialiter honestum non perseverare in malo, sed operari ad destruendum malum commissum, ideoque datur specialis virtus penitentia intendens hanc honestatem, ex eaque operans ad destruendum, emendandum, & compensandum malum commissum, & vincens specialem difficultatem non condemnandi nos ipsos.

20. Infertur tertio, quid sit dicendum de opinionibus aliorum. Prima opinio est Caietani, qui in commentario huius articuli 2. quæst. 85. docet non dari penitentiam virtutem specialem, quæ habeat pro obiecto formali bonum operandi ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati commissi, ac proinde non possit exercere suum actum primarium, nisi ex suppositione peccati commissi. Probat autem non dari talem virtutem, tum quia est impossibilis ex rationibus allatis in primo, secundo, & tertio argumento; tum quia non est necessaria, ex rationibus allatis in septimo, & octavo argumento. Confirmat: nam ad compensandum peccatum sufficit religio; ergo non est necessaria virtus specialis distincta à religione. Probat autem antecedens: nam religio intendit honestatem reddendi Deo id, quod illi debetur ratione supremæ excellentiæ; sed ratione diuinæ excellentiæ debetur compensatio pro beneficijs acceptis, & pro peccatis commissis; ergo religio sufficit ad peccata commissi compensanda; & sicut non ponitur specialis virtus distincta à religione intendens specialiter dare Deo debitum pro beneficijs, sic non datur specialis virtus distincta à religione, intendens dare Deo debitum pro peccatis commissis. Religio igitur Deo dat in recompensationem subiectionem hominis ad Deum, & per actum deuotionis dat Deo subiectionem absolutè debitam ratione diuinæ excellentiæ; per actum gratitudinis dat subiectionem Deo debitam ratione beneficiorum acceptorum; per actum penitentia dat compensationem Deo debitam ratione peccatorum commissorum; ideoque in lege mosaica peccata expiabantur sacrificijs, qui sunt actus religionis, & Dauid psal. 50. cor contritum, & humiliatum vocat sacrificium, dicens: *Sacrificium Deo spiritus contritus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicit.*

Reiicitur hæc opinio. Nam religio sufficit quidem ad compensandum peccatum, sed non sufficit ad compensandum peccatum ex speciali honestate, quæ inuenitur in ipsa compensatione peccati; ergo ad peccatum compensandum ex hac speciali honestate requiritur specialis virtus penitentia distincta à religione. Confirmatur: nam præter religionem, quæ dat Deo debitum ratione diuinæ excellentiæ, datur gratitudo, quæ intendit dare Deo debita ratione beneficiorum acceptorum: ergo etiam datur specialis virtus penitentia intendens dare compensationem debitam ratione peccatorum commissorum.

21. Secunda sententia Suarj hic disput. 2. sect. 3. & disput. 7. sect. 2. docet penitentiam esse iustitiam, quæ habet pro obiecto formali seruare illæsum, & læsum refarcire ius Dei in suas creaturas: & quia hoc obiectum formale abstrahit ab hoc, quod ius Dei fuerit violatum, vel non fuerit violatum per peccatum, exilitat obiectum formale penitentia abstracta.

Abstrahere ab hoc, quod peccatum fuerit, vel non fuerit commissum.

Reijcitur hæc opinio. Nam ultra honestatem vniuersalem conseruandi illæsum ius Dei, illudque refarciendi, quæ honestas est obiectum iustitiæ, non supponens peccatum commissum, datur honestas specialis operandi ad destructionem peccati, illudque emendandi, & compensandi; ergo ultra virtutem iustitiæ datur alia virtus specialis poenitentiae.

22. Tertia sententia Cardinalis de Lugo disput. 2. sect. 4. num. 48. & sequentibus, docet poenitentiam esse virtutem specialem, habentem pro obiecto formali honestatem seruandi pacem cum Deo, eamque læsam refarciendi, ac proinde eius actum abstrahere ab hoc, quod peccatum fuerit, vel non fuerit commissum.

Reijcitur eodem pacto. Nam ultra honestatem seruandi pacem cum Deo, datur specialis honestas operandi ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati, ac proinde supponens peccatum commissum: & hæc est poenitentia specialis, & formalis.

23. Quarta sententia Scoti in 4. dist. 14. sect. 1. supponit poenitentiam nihil aliud esse, quam pænæ tenentiam, & poenitere esse pænâ tenere, & in poenitentia distinguit quatuor actus. Primus est velle vindicare peccatum factum, & hunc actum quæst. 2. nu. 8. nouissimæ editionis, docet spectare ad iustitiam punitiuam, & vindicatiuam, quæ distinguitur à iustitia commutatiua. Secundus est detestari, & odisse peccatum commissum; & hunc actum num. 1. docet non spectare ad vllam virtutem specialem, sed esse communem omnibus virtutibus appetitiuis, quia omnes sicut inclinant ad amplectendum bonum honestum, sic inclinant ad detestandum malum oppositum, & ad habendam displicentiam de illo. Tertius est pænâ inflictam grater acceptare; & hunc etiam docet non esse actum vllius specialis virtutis. Quartus est pænâ pro peccato inflictam patienter ferre; & hunc docet esse actum poenitentiae virtutis specialis.

Reijcitur. Nam præter iustitiam vindicatiuam, quæ intendit honestatem vindicandi peccatum, & præter virtutem patientiæ, quæ patienter fert pænâ pro peccato inflictam, datur alia virtus specialis, quæ intendit specialem honestatem operandi ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati commissi, de qua virtute Scotus nihil docet; sed hæc est poenitentia formalis, & specialis; ergo &c.

24. Quinta demum sententia S. Thomæ hoc art. 2. quæst. 85. docet poenitentiam esse virtutem specialem, quæ operatur ad destructionem peccati præteriti, in quantum est offensa Dei, & art. 3. docet poenitentiam intendere emendationem, & compensationem

peccati commissi, ideoque esse quandam speciem iustitiæ. Vaquez etiam ad hanc quæst. 3. art. 3. dubio vnico, docet poenitentiam esse virtutem specialem, quæ habet pro obiecto formali bonum compensationis: & hanc poenitentiam secutus sum.

25. Ad 1. distingo maiorem: omnis virtus purè promotiua boni potest exercere suum actum etiam in homine innocente, concedo, omnis virtus non solum promotiua boni, sed etiam essentialiter reparatiua mali, potest exercere suum actum in homine innocente, nego; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Dantur duo genera virtutum. Aliqua sunt virtutes purè promotiua boni, & istæ possunt exercere suum actum in homine omnino innocenti. Aliæ sunt virtutes non solum promotiua boni, sed etiam reparatiua mali, & istæ non possunt exercere suum actum in homine omnino innocenti. Poenitentia est virtus secundi generis, ac proinde non potest exercere suum actum in homine omnino innocenti. Quod autem dari debeat hæc virtus, patet. Nam in hoc, quod est reparare malum, illud emendando, & compensando, apparet specialis honestas, eaque difficilis, ac proinde specificans virtutem specialem.

26. Ad 2. concedo, quod in nobis dentur semina omnium virtutum. Cum assumitur, quod non est necesse, vt peccemus ad hoc, vt possimus exercere actum vllius virtutis, illamque virtutem acquirere, distingo; non est necesse, vt peccemus ad hoc, vt possimus exercere actus omnium virtutum purè promotiuum bonum, concedo; reparantium, & emendantium malum, nego. In nobis ita dantur semina virtutum, vt virtutes purè promotiua boni possimus exercere, etiam si non peccemus; virtutes autem reparatiua mali, non possimus exercere, nisi peccauerimus. Confirmatur: nam certum est dari duo genera actuum honestorum. Aliqui enim possunt exerceri etiam ab homine, qui nunquam peccauerit; alii non possunt exerceri ab homine, qui nunquam peccauerit; & tales sunt actus poenitentiae; ergo etiam possunt dari duo proportionalia genera virtutum habituum. Confirmatur: nam Deus actus parcendi, vel puniendi peccata, non potest exercere, nisi ex suppositione, quod peccata permiserit; ergo non est mirum, quod homo quasdam virtutes non possit exercere, nisi ante peccauerit.

27. Dices: ergo ad exercendas tales virtutes, necesse est, vt homo peccet.

Respondeo, distingo consequens: necesse est necessitate mediæ, vt homo peccet, nego; necessitate puræ suppositionis, concedo. Ad exercendam virtutem poenitentiam non est necessarium necessitate mediæ, vt homo peccet: neque enim peccatum debet eligi vt medium ad exercendam virtutem poenitentiae; sed solum est necessarium necessitate

tate suppositionis, quæ necessitas explicatur per hanc conditionalem: non potest homo exercere actum penitentia, nisi ante peccauerit, licet non debeat peccatum eligere vt medium ad exercendum actum penitentia. Adde hoc argumentum debere ab omnibus solui de actu virtutis penitentia, ad quem exercendum debet præsupponi peccatum.

28. Ad 3. distingo maiorem: in Christo fuerunt omnes virtutes formaliter, nego; formaliter, vel æquiualeuter, concedo. Certum est, quod in Christo non fuerunt formaliter, sed solum æquiualeuter fides, & spes; ergo nec fuit formaliter penitentia, quæ solum debet esse in ijs, qui possunt peccare, ac proinde non potuit esse in Christo, qui fuit impeccabilis. Fuit tamen in Christo æquiualeuter in alia virtute, quæ amat specialissimam honestatem nunquam peccandi.

29. Ad 4. nego maiorem. Vt amemus aliquod obiectum formale, non est necesse, vt amemus omnia, sine quibus dari non potest tale obiectum formale, sed aliquando sufficit, vt illa præsupponamus, aut permittamus: ex. gra. qui amat honestatem iustæ punitionis, non est necesse, vt amet delictum, sine quo punitio non potest esse iusta, sed sufficit, vt delictum præsupponat: Deus etiam vt ab æterno vellet multa bona, quæ non poterant haberi sine peccatis, non debuit peccata velle, & amare, sed solum præsupponere, & permittere.

30. Dices. Non possumus amare honestatem, quæ includat peccatum, nisi amemus ipsum peccatum; sed honestas compensandi peccatum includit peccatum; ergo &c. Probat minor: nam ablato peccato, & remanentibus omnibus alijs, quibus peccatum compensamus, non remanet in ijs honestas compensationis; sed illud includitur intrinsecè in aliquo, quo ablato, & remanentibus alijs, illud non remanet: nam implicat, vt res non remaneat, si remanent omnia intrinseca constitutiva ipsius; ergo &c.

Respondeo, negando minorem: ac dico quod honestas compensationis supra actiones compensatiuas non addit formaliter ipsum peccatum, sed relationem cuiusdam proportionis ad peccatum præteritum, quæ relatio amatur, absque eo, quod ametur ipsum peccatum, quod potius odio habetur, & per compensationem destruitur. Falsum igitur est, quod ablato peccato, & remanentibus omnibus alijs, non remaneat honestas compensationis. Nam ablato peccato, non remanet talis relatio, quæ essentialiter supponit peccatum, ac proinde non remanent omnia alia. In sententia, quæ negat relationes superadditas, existimo hoc argumentum non satis solui. Nam qui amat bonum compensationis, non amat solum id, quod est indifferens ad hoc, vt sit, vel non sit hoc bonum, eo pacto, quo qui amat bonum sapientia, non amat solum id,

quod est indifferens ad hoc, vt sit, vel non sit bonum sapientia; sed omnes actiones compensatiua, secluso peccato, iuxta illam sententiam sunt indifferentes ad hoc, vt sint, vel non sint honestas compensationis; ergo qui amat honestatem compensationis, non amat solum illas actiones, sed amat ipsum peccatum.

31. Ad 5. distingo maiorem: repugnat virtus penitentia, quæ non possit facere actum, qui dicat formaliter, & quasi speculatiue *nollem commississe vllum peccatum*, nego; quæ non possit hoc dicere practice, & æquiualeuter, concedo: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Dupliciter possumus dicere *nollem commississe vllum peccatum*: primò speculatiue, ita vt displiceat peccatum commissum præcisè secundum id, secundum, quod non potest amplius auferri: secundum practice, ita vt displiceat peccatum commissum secundum id, quod potest auferri, cum voluntate efficaci ad illud auferendum. Ad virtutem penitentia non requiritur, vt possit facere primum actum speculatiuum, sed sufficit, vt possit facere secundum actum practicum. Hunc autem actum practicum potest facere ex amore sui obiecti formalis. Possumus enim per virtutem specialem penitentia dicere, quia honestum est operari ad destruendum peccatum præteritum, auferendo moraliter offensam Dei, & reatum pena, aliaque mala, ex eo remanentia, & faciendo, vt quoad hæc ita se habeat, ac si non fuisset commissum, volo illud destruere, & redigere ad statum, in quo moraliter se habeat, ac si non fuisset commissum. Adde virtutem penitentia ex amore sui obiecti formalis posse imperare actum illum quasi speculatiuum, quo dicamus *nollem commississe vllum peccatum*. Possumus enim dicere: quia honestum est operari ad destructionem peccati commissi, volo ad hoc operari: & quia ad destruendum peccatum commissum utile est facere actum, quo dicam *nollem commississe vllum peccatum, volo facere tale actum*. Ex eadē ratione penitentia potest imperare omnes actus viles ad destructionem peccati: & quia actus contritionis perfecta ex motiuo charitatis est maxime utilis ad destructionem peccati, potest imperare actum contritionis perfecta ex motiuo charitatis, ac proinde eliciendum ab habitu charitatis.

32. Sed potest quæri, vtrum penitentia, specialis ex proprio motiuo, non solum possit imperare actus contritionis, & attritionis eliciendos ab alijs virtutibus, sed etiam possit elicere aliquem actum contritionis imperfectæ sufficientem ad iustificationem in sacramento?

Respondeo affirmatiue. Ratio est, quia contritio, prout abstrahit à perfecta, & imperfecta, à Tridentino sess. 14. cap. 4. definitur, *animi dolor, & detestatio de peccato commissio, cum proposito non peccandi de cetero*; sed ex proprio motiuo penitentia specialis possumus

dolere, & detestari peccata commissa, cum proposito non peccandi de cætero: ergo &c. Probatur minor: possumus enim dicere, quia honestum est, ut qui peccando Deum offendit, operetur ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati commissi, volo destruere, emendare, & compensare peccata commissa: & quia honestati compensationis, & placationis opponuntur noua peccata, nolo amplius peccare: sed hic actus in quantum dicit volo destruere peccata commissa, practicè, & efficaciter de ipsis dolet, eaque detestatur; in quantum dicit nolo amplius peccare, includit propositum non amplius peccandi: ergo est actus attritionis, seu contritionis imperfectæ, ac proinde sufficiens ad iustificandum in sacramento poenitentia?

33. Ad 6. Transeat maior, & nego minorem. Poenitentia intendit honestatem operandi ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati commissi, non solum destruendo malum peccati, sed etiam, ex occasione peccati promouendo bonum gratiæ, & amicitia diuinæ, eo pacto, quo Maria Magdalena, Paulus, & alij insignes peccatores per totam vitam operati sunt, non solum ad destructionem peccatorum, sed etiam ad promotionem diuinæ gratiæ, & amicitia.

34. Ad 7. nego antecedens, ac dico, quod ultra iustitiam, quæ ex motiuo conseruandi illæsum ius alterius, illudque læsum refarciendi, non aufert aliena, & restituit ablata, datur alia specialis virtus restituendi, quæ intendit honestatem specialem compensandi malitiam iniustæ ablationis, dando propria, & reddendo plura, quam fuerint ablata. Hanc specialem honestatem videtur intenuisse Zachæus Luca 19. dicens: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudauit, reddo quadruplum.* Videtur enim per hunc actum dixisse: quia specialiter honestum est, ut qui abstulit aliena, donec propria, & reddat plus, quam abstulit, ego, qui abstuli aliena, volo dare pauperibus dimidium bonorum meorum, & illis, quos defraudauit, volo reddere quadruplum.

35. Ad 8. nego antecedens, & dico, quod ultra virtutem, quæ intendit bonum pacis cum homine, & ex hoc motiuo neminem lædit, & si alicui fecit iniuriam, conatur illum placare, datur virtus specialis intendens honestatem specialem compensandi iniurias illatas, conferendo etiam bona maiora.

36. Ad 9. distingo antecedens: iustitia, religio &c. possunt operari ad destructionem peccati commissi ex suo obiecto formali, concedo; ita ut habeant pro obiecto formali honestatem specialem operandi ad destructionem, & compensationem peccati, nego antecedens; & nego consequentiam. Iustitia, religio, & plures alie virtutes ex proprijs obiectis formalibus possunt operari ad destructionem peccati commissi, & tamen relinquunt locum poenitentia formali, & speciali, quæ intendit ut obiectum formale honesta-

tem specialem operandi ad destructionem, & compensationem peccati commissi: proportionaliter, ac charitas, religio, & obedientia ex proprijs motiuis possunt exercere adu temperatè viuendi, & tamen relinquunt locum temperantiæ formali, & speciali, quæ intendit ut obiectum formale honestatem temperatè viuendi, & seruandi modum in delectationibus gustus, & tactus.

QVÆSTIO CCXXXIII.

Vtrum poenitentia sit species, vel pars iustitiæ?

S. Tho. quæst. 75. art. 3.

1. Videtur non esse: primo quia iustitia diuiditur in legalem, commutatiuam, distributiua, & punitiuam; sed poenitentia non est species vllius ex his: ergo &c.

2. Secundo iustitia debet intendere, & ponere æquale: siquidem iustum idem est, ac æquale: sed poenitentia non potest dare Deo compensationem æqualem pro peccatis commissis: siquidem ex dictis tom. 2. qu. 33. nulla pura creatura potest facere bonum æquale malo peccati: ergo &c.

3. Respondeo nomen iustitiæ sumi multipliciter. Primo iustitia dicitur virtus tribuendi alteri id, quod illi debetur, abstrahendo ab hoc, quod habeat pro motiuo, & obiecto formali rationem communem debiti, vel aliquam rationem specialem debiti. In hoc sensu nomen iustitiæ non significat aliquam speciem specialissimam virtutis, sed genus commune omnibus virtutibus, quæ tribuunt alteri id, quod illi debetur, ac proinde omnes virtutes, quæ tribuunt alteri debitum, sunt species iustitiæ genericè sumptæ: sed poenitentia specialis iuxta dicta quæst. 23. intendit honestatè operandi ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati, & vult dare Deo compensationem debitam pro peccato, in quantum est offensa Dei: ergo poenitentia est species iustitiæ genericè sumptæ. Ex proportionali ratione religio, quæ dat Deo cultum debitum ratione summæ excellentiæ, pietas, quæ dat parentibus debita ratione generationis, gratitudo, quæ dat beneficijs debita ratione beneficiorum acceptorum, sunt species iustitiæ genericè sumptæ, & sunt virtutes inter se differentes specie, cum habeant pro obiecto formali honestates speciales diuersas dandi vnicuique id, quod illi debetur debito specie diuerso.

4. Ex speciebus iustitiæ genericè sumptæ aliqua simpliciter, & perfectè participant rationem iustitiæ, aliqua secundum quid, & imperfectè: & quia ratio iustitiæ consistit in hoc, ut detur æquale debito, illæ virtutes, quæ tribuunt æquale simpliciter, & debitum absolutè, & simpliciter, participant absolutè, &

& simpliciter rationem iustitiæ: è conuerso virtutes, quæ non tribuunt æquale simpliciter, sed solum secundum quid, participant rationem iustitiæ secundum quid, & imperfectè: & quia simpliciter, & perfectissimè debitum alicui dicitur, quod illi debetur iure stricto, hoc est titulo dominij, & suitatis, ideò propriissima iustitia est, quæ habet pro obiecto formali honestatem dandi alteri id, quod illi debetur iure stricto, hoc est titulo suitatis, ponendo perfectam æqualitatem cum tali iure: quæ autem habent pro obiecto formali honestatem dandi debita alijs titulis, prout illa debita sunt magis, aut minus stricta, & prout ponunt æqualitatem magis perfectam, vel minus perfectam, magis, aut minus perfectè participant rationem iustitiæ: & quia quod est debitum ex gratitudine ratione beneficij accepti, non videtur strictè, & legaliter debitum, siquidem leges humanæ non cogunt ad illud soluendum, sed solum est debitum moraliter, & secundum honestatem, ideò gratitudo imperfectè participat rationem iustitiæ. His positis.

5. Dicendum primo: penitentia virtus specialis est species iustitiæ genericè sumptæ.

Probatur. Nam ex dictis iustitia genericè sumpta est virtus tribuendi alteri id, quod illi debetur; sed penitentia est virtus tribuendi Deo compensationem debitam pro peccato, propter honestatem specialem destruendi, & compensandi peccatum: ergo est species iustitiæ genericè sumptæ.

6. Dicendum secundo: penitentia rationem iustitiæ participat solum imperfectè, & secundum quid, ideoque est iustitia secundum quid.

Probatur: nam ad iustitiam simpliciter requiritur, vt ponat iustum, & æquale simpliciter, virtutes autem, quæ ponunt iustum, & æquale solum secundum quid, sunt iustitia solum secundum quid; sed penitentia non dat Deo compensationem simpliciter æqualem pro peccato mortali: nam ex dictis quæst. 5. de Incarnatione nulla pura creatura potest æqualiter compensare peccatum mortale in quantum est offensa Dei: ergo non est iustitia simpliciter, sed solum secundum quid, in quantum dat Deo compensationem inæqualem, quæ tamen à Deo acceptatur vt sufficiens. Quia verò ex dictis quæst. 5. de Incarnatione potest pura creatura dare Deo compensationem æqualem pro peccato veniali: penitentia, in quantum est virtus compensatiua peccati venialis, ex hoc capite non deficit à ratione perfectæ iustitiæ.

Confirmatur, & explicatur. Nam religio, quæ dat Deo cultum debitum ratione diuinæ excellentiæ, sed ita, vt nunquam possit dare æquale debito, est iustitia solum secundum quid, & imperfectè: pietas, quæ dat parentibus debita ratione generationis, sed ita, vt non possit æquare debitum, est iustitia solum secundum quid: ergo à pari.

Tom. III.

7. Addo, quod quia ex dictis quæst. 8. de Incarnatione peccatum mortale est propriè iniuria Dei realis, & personalis, ac proindè fundat in Deo ius strictum ad exigendam eius compensationem, penitentia cum det Deo compensationem debitam iure stricto, ex hoc capite non deficit à ratione perfectæ iustitiæ, sed solum deficit, quatenus non dat compensationem æqualem.

8. Dices. Si Persona diuina assumpsisset humanitatem, quæ ante assumptionem peccauisset mortaliter (quod à multis conceditur esse possibile) in tali humanitate daretur virtus specialis penitentiae; sed talis virtus posset dare Deo compensationem æqualem pro peccatis commissis: ergo per accidens est penitentiae speciali, vt non possit dare Deo compensationem æqualem, & vt ex hoc capite deficiat à perfecta iustitia.

Respondeo, distingo maiorem: in tali humanitate daretur virtus specialis penitentiae eiusdem rationis cum nostra, nego: diuersæ rationis à nostra, concedo: & nego per accidens esse nostræ penitentiae, vt non possit dare compensationem æqualem pro peccato. Penitentia nostra habet pro obiecto formali honestatem operandi ad destruendum, emendandum, & compensandum peccatum commissum, licet in quantum est offensa Dei non possit à nobis æqualiter compensari: penitentia naturæ assumptæ à Verbo habet pro obiecto honestatem operandi ad compensandum peccatum commissum, quod posset æqualiter, & facillimè compensare, quocumque minimo opere meritorio, & satisfactorio; sed honestas operandi ad compensationem peccati, licet non possimus illud æqualiter compensare, est diuersæ rationis, ac multo difficilius, quam honestas operandi ad compensandum peccatum, quod posset quis æqualiter, & facillimè compensare: ergo penitentia nostra habet obiectum formale diuersæ speciei ab obiecto formali penitentiae, quæ esset in natura assumpta à Verbo, ac proindè est diuersæ speciei, & ex suo obiecto formali non potest æqualiter compensare peccatum: ergo non per accidens, sed per se, & essentialiter deficit à ratione iustitiæ.

9. Dices: ergo penitentia nostra intendit compensationem inæqualem vt inæqualem.

Respondeo, distingo consequens: intendit compensationem inæqualem vt inæqualem, amando inæqualitatem, nego: amando honestatem connexam cum inæqualitate, concedo. Dum dicitur, quod penitentia intendit compensationem inæqualem, vt inæqualem, reduplicatio illa vel potest significare, quod ipsa inæqualitas ametur, & in hoc sensu propositio est falsa; vel potest significare, quod ametur honestas, & obiectum formale connexam cum inæqualitate compensationis, & in hoc sensu propositio est vera.

10. Dicendum tertio: penitentia non re-

ducitur ad iustitiam legalem, neque ad distributivam, neque ad vindicativam, sed ad commutativam. Probatum; nam ex dictis tom. 2. quæst. 178. iustitia legalis est iustitia partis ad totum, & est per quam unusquisque dat suo toti, hoc est communitati id, quod debetur; & quia communitati debetur, ut unusquisque ordinet se ipsum, & omnia alia ad bonum commune, prout leges præscribunt, ideo iustitia legalis est virtus, qua unusquisque ordinat se ipsum, & omnia alia ad bonum commune, prout leges præscribunt; ergo penitentia non reducitur ad iustitiam legalem.

11. Iustitia distributiva ex dictis tom. 2. quæst. 188. est iustitia totius ad partem, & consistit in hoc, ut communitas, quæ est totum, det singulis suis partibus id, quod debet: & quia communitas debet singulis distributionem honorum, & onerum communium secundum proportionem geometricam, per quam sicut se habent merita, & vires singulorum, sic se habeant bona, & onera distributa: ergo iustitia distributiva intendit honestatem distribuendi bona, & onera communia secundum proportionem geometricam: sed penitentia non versatur in dispositione bonorum, & onerum communium secundum proportionem geometricam: ergo non reducitur ad iustitiam distributivam.

12. Iustitia commutativa ex dictis tom. 2. quæst. 190. est, quæ ponit æqualitatem in commutationibus, in quibus unum datur pro altero; sed penitentia cum sit virtus, quæ operatur ad compensandum peccatum commissum, in quantum est offensa Dei, intendit, & ponit quandam æqualitatem inter offensam Dei, & compensationem, quam Deo offert pro offensa, licet non possit ponere æqualitatem perfectam; ergo penitentia reducitur ad iustitiam commutativam, licet deficiat à ratione perfectæ iustitiæ. Ad eandem iustitiam commutativam reducitur iustitia vindicativa, seu punitiva. Nam puniens intendit æqualitatem inter penam, & culpam, & dat penam æqualem pro culpa. Licet tamen penitentia, tamen iustitia punitiva reducat ad idem genus iustitiæ commutativæ, tamen sunt duæ virtutes inter se specie diversæ, & penitentia est propria eius, qui peccavit, & offendit, ac proinde est reus, iustitia punitiva est virtus propria iudicis, qui fuit offensus, vel representat offensum. Penitentia igitur est virtus, qua qui peccavit, & offendit Deum, intendit honestatem operandi ad emendationem, & compensationem offensæ, ut reconcilietur offenso, & deleat offensam: iustitia punitiva est virtus, qua iudex offensus intendit honestatem ponendi penam æqualem offensæ, non in bonum offendentis præcisè, sed in bonum communitatis.

13. Infertur, quid sit dicendum de sententiis aliorum. Prima est Scoti, qui in 4. dist. 14. quæst. 2. docet inter actus penitentiae primum esse, quo penitens vult punire se ipsum pro

peccato commisso, propter honestatem talis punitionis; & hunc actum asserit esse proprium iustitiæ vindicativæ, quæ est virtus specialis. Ut examinetur hæc opinio, queri potest primo, utrum in eo, qui peccavit, possit dari virtus specialis puniendi se ipsum pro peccato commisso.

Respondeo affirmatiue. Ratio est, quia omnis specialis honestas per se amabilis potest esse obiectum formale specificans specialem virtutem; sed est specialis honestas per se amabilis consistens in hoc, ut qui peccavit, puniat se ipsum, & malum culpæ conetur reordinare malo penæ: nam in hoc, ut culpa puniatur, apparet quædam pulchritudo: ergo qui peccavit potest intendere istam honestatem, & se ipsum punire, prout recta ratio præscribit.

14. Queritur potest secundo, utrum hæc virtus specialis puniendi se ipsum distinguatur specie à penitentia virtute speciali, de qua hæctenus egimus?

Respondeo affirmatiue. Ratio est, quia virtutes, quæ habent pro obiecto formale honestates specie diversas, differunt specie; sed penitentia, & virtus intendens honestatem puniendi se ipsum, habent pro obiecto formale honestates specie diversas: ergo differunt specie. Probatum minor; nam alia est honestas compensandi, & delendi offensam in ordine ad obtinendam reconciliationem cum offenso, alia est honestas puniendi offensam penæ debita. Confirmatur: nam alius est reatus culpæ, alius est reatus penæ; sed penitentia intendit compensare culpam, & sic extinguere reatum culpæ; habitus puniendi se ipsum intendit puniendo se ipsum, extinguere reatum penæ; hoc est ius ad puniendum, quod ius est in iudice: ergo &c.

15. Queritur potest tertio, utrum virtus puniendi se ipsum differat specie à virtute punitiva propriè dicta, quæ virtus est in iudice?

Respondeo affirmatiue. Primo enim virtus ad alterum specie differt à virtute ad se; sed virtus vindicativa propriè dicta est ad alterum: ergo specie differt à virtute puniendi se ipsum, quæ est ad se. Secundo alia est honestas puniendi reum ad terribiles ceteros, alia est honestas puniendi se ipsum, ad hoc, ut quis, puniendo se ipsum, melius se habeat, & non puniatur à iudice, vel minus puniatur; sed iustitia vindicativa propria intendit primam honestatem, virtus puniendi se ipsum intendit secundam; ergo &c.

16. Queritur potest quarto, utrum penitens tanquam minister Dei iudicis possit punire se ipsum per veram iustitiam vindicativam?

Respondeo negatiue. Ratio est, quia Deus non dat penitenti auctoritatem puniendi se ipsum, nisi ad bonum proprium, non autem ad terribiles alios; sed minister iustitiæ vindicativæ, dum punit reum, tanquam minister iudicis, punit non præcisè ad

ad bonum rei, sed ad alios terrendos; ergo &c.

17. Hinc patet, quid dicendum sit ad sententiam Scoti. Primo concedimus in penitentia posse dari actum, quo velit punire se ipsum. Secundo dicimus hunc actum non esse penitentia virtutis specialis, sed alterius virtutis. Tertio dicimus hunc actum nec esse iustitiam vindicativam propriè dictam. Quarto dicimus talem actum reduci posse ad iustitiam vindicativam, licet ab illa deficiat. Quinto dicimus penitentem, neque ut ministrum Dei iudicis posse punire se ipsum ad terrendos alios, præscindendo à bono proprio, prout exigit iustitia vindicativa.

18. Secunda sententia Suarii disp. 2. sect. 3. docet penitentiam esse iustitiam perfectè talem, quia intendit compensationem iniuriæ Deo factæ per peccatum.

Reijcitur: nam etiam si penitentia intendat compensationem iniuriæ, quæ compensatio sit debita iure stricto, ut concessimus, tamen non intendit compensationem perfectè æqualem, prout ad perfectam iustitiam exigitur, ut explicavimus.

19. Tertia Sancti Thomæ hoc art. 3. quæstione 85. docet penitentiam esse speciem iustitiæ commutativæ, sed ita, ut non habeat perfectè rationem iustitiæ, quia non ponit iustum simpliciter, quod intercedit inter personas æquales, ut explicat in resp. ad 2. & consistit in perfecta æqualitate: & hanc sententiam secuti sumus.

20. Ad argumenta in contrarium patet ex dictis. Dictum est enim penitentiam reduci, non ad iustitiam legalem, neque ad distributivam, neque ad vindicativam, sed ad commutativam, ac deficere à perfecta ratione iustitiæ, quia ponit æqualitatem solùm imperfectam, non autem perfectam.

QVÆSTIO CCXXXIV.

Virum penitentia sit virtus theologica, vel moralis?

1. Videtur esse virtus, non moralis, sed theologica; primo, quia omnis virtus, quæ habet Deum pro obiecto, est theologica, eo pacto, quo fides est virtus theologica, quia credit Deo, spes est virtus theologica, quia sperat in Deum, charitas est virtus theologica, quia amat Deum; sed penitentia habet Deum pro obiecto, cum sit virtus satisfaciendi Deo pro peccato commisso, in quantum est offensa Dei: ergo &c.

2. Secundo si dicatur cum Suario de penitentia, disput. 7. sect. 1. num. 12. & tom. 1. de religione lib. 3. cap. 3. ad virtutem theologicam non sufficere, ut attingat Deum, tanquam obiectum *cui*, sed requiri, ut attingat Deum, tanquam obiectum *quod*; & quia penitentia cum intendat satisfacere Deo pro offensa, attingit Deum ut obiectum *cui*, siquidem vult satisfacere Deo, sed habet pro obiecto *quod* satisfactionem creatam, penitentia non est virtus theologica; sicut ex proportionali ratione religio, quæ vult dare Deo cultum creatum, non est virtus theologica, quia habet Deum solùm pro obiecto *quod*: si inquam hoc dicatur, contra est, quia fides, qua credimus Deo revelanti plures veritates creatas, est virtus theologica, licet habeat Deum pro obiecto, *cui* credimus, veritates creatas pro obiecto, *quod* credimus; spes, qua speramus à Deo promittente beatitudinem creatam, est virtus theologica, licet habeat pro obiecto, *quod* speramus, aliquid creatum; charitas, qua Deo volumus gloriam extrinsecam creatam, est virtus theologica, licet habeat Deum solùm modo pro fine, & obiecto *cui*, gloriam creatam pro fine, & obiecto *quod*; ergo penitentia, qua volumus Deo satisfactionem creatam, potest esse virtus theologica, licet habeat Deum pro obiecto, *cui* volumus satisfacere, satisfactionem creatam pro obiecto, *quod* volumus Deo offerre.

3. Tertio omnis virtus moralis consistit in medio, & solæ virtutes theologicæ consistunt in quodam excessu; siquidem quo magis credimus, speramus, & amamus, eo melius operamur, ac modus credendi, sperandi, & amandi Deum, est credere, sperare, & amare sine modo; sed penitentia non consistit in medio, sed in quodam excessu; cum enim nunquam possimus adæquatè compensare peccata commissa, debemus illa magis, & magis compensare in infinitum sine termino, ideoque Ieremiæ 6. dicitur, *luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum*, ad significandum, quod non possumus peccata nimis plangere: ergo &c.

4. Respondeo virtutes theologicas esse, quæ adhærent Deo, ut ultimo fini, & ut obiecto formali, non solum terminatio, sed etiam motivo; virtutes autem non theologicas esse, quæ habent pro obiecto formali motivo aliquid creatum, non adhærendo illi ut ultimo fini, sed illud actu, vel potentia referendo in Deum ultimum finem. Si verò quæratur, quid sit adhærere Deo ut ultimo fini, dico, quod est adhærere Deo ratione sui, & præferendo illum omnibus alijs motivis. Explicatur. Fides divina est virtus theologica intellectus, quia intellectus per fidem adhæret Deo ut primæ veritati, ratione sui, & præferendo divinam veritatem omnibus alijs motivis, & propter divinam veritatem credendo omnia, quæ sufficienter proponuntur, ut revelata à Deo. Spes est virtus theologica voluntatis, quia voluntas per spem adhæret Deo, & in ipsum firmissimè sperat, ratione summæ potentia, & fidelitatis, quibus potest, & vult implere omnia promissa, & præ-

& præfert Deum vt promittentem omnibus alijs motiuis sperandi, vel desperandi, & sperat à Deo quæcumque credit fuisse à Deo promissa, ac præsertim supernaturalem beatitudinem. Caritas est virtus theologica voluntatis, quia voluntas per charitatem adhæret Deo vt summæ bonitati, illum propter se amando amore amabili, & præferendo Deum omnibus alijs obiectis per se amabilibus, & propter Deum amando omnia, quæ Deus voluerit amari. Et conuerso fides, qua quis credit ecclesiæ catholicæ toto orbe diffusæ, propter eius maximam autoritatem, pluribus signis, & argumentis confirmatam, non præferendo autoritatem ecclesiæ omnibus alijs motiuis, sed subordinando autoritati diuinæ, est fides non theologica, sed moralis. Spes, qua quis sperat salutem propter intercessionem Beatæ Virginis, & Sanctorum, non præferendo hoc motiuum sperandi omnibus alijs motiuis, sed illud subordinando motiuo Dei promittentis, est spes quædam non theologica, sed moralis. Proportionaliter iustitia est virtus moralis, quæ habet pro obiecto formali honestatem creatam dandi unicuique id, quod illi debetur, sed ita, vt huic honestati non adhæreat tanquam vltimo fini, sed illam ordinet actu, vel potentia in Deum vltimum finem. Idem dic de temperantia, & fortitudine. Religio est virtus moralis, quæ habet pro obiecto formali honestatem creatam colendi Deum cultu debito supremæ excellentiæ. Sed penitentia habet pro obiecto formali honestatem creatam operandi ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati, in quantum est offensa Dei, & talem honestatem non amat, vt vltimum finem, sed actu, vel potentia ordinat illam ad Deum, tanquam vltimum finem: ergo penitentia est virtus, non theologica, sed moralis.

5. Dices primo. Penitentia amat honestatem satisfaciendi Deo offenso: ergo per suum actum attingit immediatè Deum; sed virtus, quæ attingit Deum immediatè, est theologica: ergo penitentia est virtus theologica.

Respondeo, distingo primum consequens: ergo penitentia attingit immediatè Deum offensum, vt obiectum formale mouens ad amorem, nego; vt terminum, concedo; & distingo eodem pacto antecedens assumptum, & nego vltimam consequentiam. Penitentia, cum amet vt obiectum formale honestatem satisfaciendi Deo pro peccato commisso, attingit immediatè non solum Deum, sed etiam peccatum commissum; sed peccatum commissum non attingitur vt obiectum formale amatum: ergo non sequitur Deum attingi vt obiectum formale mouens ad amorem. Ratio est, quia ipsa honestas creata satisfaciendi Deo offenso potest sufficienter amari ratione sui, & vt obiectum formale sufficienter mouens ad amo-

rem: sed nomine penitentia formalis intelligimus virtutem, quæ amat talem honestatem vt obiectum formale sufficiens: ergo penitentia licet tendat in Deum, non tendit in Deum, tanquam in obiectum formale mouens ad amorem. Ex proportionali ratione religio dum habet pro obiecto formali honestatem colendi Deum, licet immediatè attingat Deum, non habet Deum pro obiecto formali.

6. Dices secundo. Penitentia cum amat honestatem creatam satisfaciendi Deo, non adhæret tali honestati, tanquam vltimo fini sed illam refert ad Deum vltimum finem; sed quod amatur vt vltimus finis, amatur vt obiectum formale mouens ad amorem finis non vltimi, sed intermedii: ergo per actum penitentia Deus amatur vt obiectum formale mouens ad amandam honestatem creatam satisfaciendi Deo, quæ honestas est finis intermedius; sed virtus, cuius actus amat Deum vt obiectum formale, est theologica: ergo penitentia est virtus theologica.

Respondeo primo ad virtutem morelem sufficere, vt referat suum obiectum formale creatum ad Deum actu, vel potentia, ac non requiri, vt referat actu. Secundo dico, quod etiamsi referat actu, tamen Deus per actum virtutis moralis non amatur, vt vltimus finis mouens ad amandam honestatem creatam, sed solum amatur, vt vltimus finis, ad quem refertur honestas creata. Explicatur. Aliud est, quod propter se amet honestatem creatam, ita vt illam referat ad Deum vltimum finem propter se amatum; aliud est, quod ita Deum propter se amet, vt Deus me moueat ad amandam honestatem creatam. Cum Deum vltimum finem ita propter se amo, vt Deus sufficienter me moueat ad amandam honestatem creatam, exerceo actum charitatis, & theologicum. Actum ita propter se amo honestatem creatam, vt tamen illam referam ad Deum vltimum finem, non exerceo actum theologicum, sed moralem; quia obiectum formale immediatum mouens ad amorem est honestas creata, licet ametur, non adhærendo ipsi vt vltimo fini, sed illam referendo ad Deum vltimum finem. Ad actum igitur theologicum non sufficit, vt honestas creata propter se amata referatur ad Deum vltimum finem propter se amatum, sed requiritur, vt Deus vltimus finis ita ametur propter se, vt moueat sufficienter ad amandam honestatem creatam. Virtutes proinde morales per hoc, quod propter se amet honestates creatas, sed ita, vt illas actu, vel potentia referant ad Deum vltimum finem, non euadunt theologice formaliter, sed solum participatiuè, & imperfectè, ideoque omnes virtutes morales sunt quædam participatio charitatis, quæ est virtus theologica, vt docent communiter theologici: & in hoc sensu intelligitur Augustinus docens omnes virtutes esse quædam charitates

tes, intellige, non formaliter, sed participatiue. Charitas enim formalis est, quæ amat Deum vt obiectum formale mouens ad alia amanda, & non solum vt obiectum, ad quod alia referantur, quæ amantur ratione sui, sed illa referendo ad Deum vt vltimum finem. Ideo in descriptione virtutis theologice dixi virtutem theologicam esse, quæ adhæret Deo vt obiecto formali, non solum terminatio, sed etiam motiuo. Adde dici posse virtutem moralem amare obiectum formale creatum propter se, sed in actu virtutis moralis ordinationem, qua actu, vel potentia referatur ad Deum vltimum finem, causari à charitate, proportionaliter, ac dicimus ad actus scientiæ, puta physicæ concurrere tum habitum physicæ, tum habitum logicæ, sed ita, vt physica concurrat elicitiue, logica directiue, ac proinde conformitatem cum præcepto logico in actu physicæ causari à logica.

7. Ad 1. distingo maiorem: omnis virtus, quæ habet Deum pro obiecto formali motiuo, est theologica, concedo; pro obiecto formali, non motiuo, sed terminatio, nego, distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ex dictis penitentia habet Deum pro obiecto formali solum terminatio, non autem motiuo, ideoque non est virtus theologica, sed moralis. Deus dicitur esse obiectum formale solum terminatiuum per hoc, quod honestas creata propter se amata referatur ad Deum, amatum quidem ratione sui, sed non mouentem ad amandam honestatem creatam, vt explicatum est.

8. Ad 2. Ad virtutem theologicam sufficit, & requiritur, vt habeat Deum pro obiecto formali cui mouente, non autem sufficit, vt habeat Deum pro obiecto cui non mouente; & quia fides, spes, & charitas habent Deum pro obiecto cui mouente, sunt virtutes theologice; religio, penitentia &c. quia habent Deum pro obiecto cui, non mouente ad amandam honestatem creatam, quam tales virtutes amant propter se, tanquam propter finem immediatum, referendo tamen illam ad Deum vltimum finem, non sunt virtutes theologice, sed morales.

9. Ad 3. Virtutes theologice non consistunt in medio, sed in quodam excessu, quia tendunt in obiectum suum formale summè, & præferendo illud omnibus alijs obiectis formalibus. Virtutes morales consistunt in medio, quia tendunt in suum obiectum formale, non summè, & præferendo illud omnibus alijs obiectis formalibus, sed mediocriter, ita vt suum obiectum formale subordinent Deo vltimo fini, & præferant obiectum formale honestum alijs obiectis formalibus pure delectabilibus; sed penitentia cum habeat pro obiecto formali honestatem creatam compensandi peccata commissa, amat illam mediocriter, subordinando Deo vltimo fini, & præferendo alijs obiectis formalibus pure delectabilibus; ergo penitentia consistit in-

medio, ac proinde non est virtus theologica sed moralis. Sunt etiam alij modi explicandi, quo pacto virtutes morales consistant in medio, de quibus egi in tractatu de iustitia, & iure, quæst. 181.

QVÆSTIO CCXXXV.

Virum penitentia specialis sit habitus supernaturalis per se infusus?

1. **P**rimo videtur penitentia specialis non esse habitus supernaturalis, sed naturalis. Nam omnis habitus habens pro obiecto formali honestatem naturalem, & cognitam lumine naturæ, est naturalis, & non supernaturalis; sed obiectum formale penitentia specialis est honestas operandi ad deletionem peccati commissi, quæ honestas est naturalis, & cognita lumine naturæ; ergo &c.

2. Secundo videtur non esse habitus per se infusus, sed solum acquisitus. Penitentia enim specialis, cum sit habitus operandi ad deletionem peccati commissi, debet remanere in peccatore, qui maximè indiget hoc habitu; sed in peccatore non remanet vllus habitus infusus, excepta fide, & spe; alij autem habitus per se infusi amittuntur simul cum habitu charitatis; ergo penitentia specialis non est habitus per se infusus.

3. Tertio si daretur penitentia specialis per se infusa, tot deberent dari habitus per se infusi, & realiter distincti, quot sunt speciales honestates; sed dantur infinitæ honestates speciales; ergo dari deberent infiniti habitus virtutum per se infusi.

4. Respondeo tres esse quæstiones. Prima est, vtum detur penitentia supernaturalis?

Respondeo affirmatiue. Ratio est, quia habitus habens pro obiecto honestatem supernaturalem propositam per fidem, est supernaturalis; sed honestas cum auxilijs gratiæ operandi ad perfectam destructionem, & emendationem peccati, recuperando, & promouendo gratiam, & diuinam amicitiam supernaturalem, est potestas supernaturalis proposita per fidem, qua credimus nos cum auxilijs gratiæ posse delere, & emendare peccata commissa, recuperando, & promouendo gratiam sanctificantem, & amicitiam diuinam; ergo datur penitentia specialis habens pro obiecto formali hanc honestatem, quæ penitentia proinde est virtus supernaturalis.

5. Secunda quæstio est, vtum detur penitentia specialis supernaturalis, quæ sit virtus acquisita.

Respondeo affirmatiue. Ratio est, quia penitens exercendo actus supernaturales penitentia specialis, acquirit habitum ad exercendos similes actus; sed hic habitus, vt potè acquisitus per actus supernaturales, est super-

naturalis; ergo datur penitentia supernaturalis acquisita.

6. Tertia quaestio est, vtrum detur etiam poenitentia supernaturalis, quae sit virtus per se infusa à Deo?

Respondeo duas esse sententias. Prima Durandi in 4. dist. 14. quaest. 1. num. 6. Scoti, Henrici, & aliorum, quos refert Vasquez hic, quaest. 85. art. 2. dub. 2. & 1. 2. disput. 30. cap. 1. docet, non dari alias virtutes per se infusas, quam theologicas, nimirum fidem, spem, & charitatem, ac proinde poenitentiam, quae non est virtus theologica, non esse virtutem per se infusam, sed solum acquisitam.

7. Secunda docet praeter virtutes per se infusas theologicas dari etiam virtutes per se infusas morales, quae simul cum charitate infundantur à Deo, & amissa charitate per peccatum mortale, amittantur, ac proinde etiam poenitentiam esse virtutem moralem per se infusam: & haec sententia est communior, & probabilior, eamque secutus sum tom. 2. qu. 73. ideoque nihil hic addendum.

8. Ad 1. concedo maiorem, & distinguo minorem: obiectum formale poenitentiae, de qua agimus, est honestas vtrumque operandi ad deletionem peccati commissi, nego; est honestas cum auxilijs gratiae operandi ad deletionem peccati commissi, recuperando, & promouendo gratiam sanctificantem, & supernaturalem amicitiam Dei, quae honestas manifestè est supernaturalis, & proposita per fidem, concedo. Obiectum formale poenitentiae, de qua agimus, est honestas cum auxilijs gratiae operandi ad perfectam deletionem peccati commissi, recuperando, & promouendo gratiam sanctificantem, & supernaturalem amicitiam Dei; sed haec honestas est manifestè supernaturalis, & proposita per fidem; ergo obiectum formale poenitentiae, de qua agimus, est manifestè supernaturale, ac proinde poenitentia est virtus supernaturalis.

9. Potest quari, vtrum sicut datur iustitia naturalis, temperantia naturalis &c. sic detur poenitentia naturalis?

Respondeo, quod si in pura natura posset dari aliqua remissio peccati mortalis, quae esset ordinis naturalis, vt aliqui concedunt, posset dari virtus naturalis poenitentiae operandi efficaciter ad deletionem purè naturalem peccati commissi. Si autem omnis remissio peccati mortalis est essentialiter supernaturalis, non potest dari virtus naturalis poenitentiae operans efficaciter ad deletionem peccati commissi, vtpotè quae supponitur naturaliter impossibilis. Posset tamen dari aliqua virtus imperfecta, quae haberet pro obiecto formali honestatem emendandi, & compensandi peccatum, in quantum posset emendari, & compensari in illo statu.

10. Ad 2. distinguo maiorem: poenitentia debet remanere in peccatore, in quantum est habitus infusus, nego; in quantum est habitus acquisitus, & est in semine habitus in-

fusus, concedo maiorem: concedo minorem; & nego consequentiam. Peccator maximè indiget actu perfectae contritionis, ac proinde habitu charitatis, qui est elicitiuus actus perfectae contritionis, & tamen habitus infusus charitatis in peccatore non remanet in se, sed solum remanet in suo semine, hoc est in fide, & spe. Fides enim, cum proponat obiectum formale charitatis, & omnium virtutum, & habeat annexa auxilia gratiae ad eliciendos actus omnium virtutum, est semen charitatis, & omnium virtutum supernaturalium, ac de hoc semine intelligitur illud Isaia, nisi Dominus Deus exercituum reliquisset nobis semen. Propositionaliter licet peccator maximè indigeat poenitentia, non habet poenitentiam infusam, sed eius semen, hoc est fidem, & spem. Nam fides cum proponat obiectum formale poenitentiae, & habeat annexa auxilia gratiae ad eliciendum actum poenitentiae, est semen poenitentiae. Potest etiam in peccatore remanere habitus acquisitus poenitentiae.

11. Ad 3. Respondeo primo, concedo maiorem, & nego minorem. Speciales honestates sunt quidem innumerabiles, sed non sunt infinitae: ergo dari debent innumerabiles, non autem infiniti habitus infusi.

12. Dices. Datur specialis honestas honorandi parentes, alia specialis honorandi auos, alia specialis honorandi proavos, & sic in infinitum: ergo tales honestates sunt infinitae. Similiter datur virtus specialis parentum erga filios, alia specialis erga nepotes, alia erga pronepotes, & sic in infinitum; ergo etiam ex hoc capite dantur infinitae virtutes speciales. Rursus datur virtus specialis fratrum erga fratres, alia erga patruos, & sic in infinitum; ergo &c.

Respondeo dari virtutes speciales solum ad illos gradus ascendentium, descendentium, vel lateraliū, quos intellectus humanus potest distinctè percipere, qui intellectus humanus cum habeat solum finitam virtutem numerandi, peruenitur ad aliquos gradus, quos non potest distinctè percipere, & numerare, ideoque ad illos gradus non datur virtus specialis, sed solum generalis, representans illos in confuso secundum rationem communem ascendentium, descendentium, vel lateraliū propinquorum, seu consanguineorum.

Respondeo secundo virtutes infusas, cum sint potentiae, & non acquirantur per actus, non distingui realiter per distinctionem obiectorum formalium, sed eandem virtutem posse esse ad infinita obiecta formalia contenta sub vna ratione communi, eo modo, quo intellectus potest moueri ab infinitis obiectis formalibus specie diuersis; & voluntas est vna potentia, quae potest moueri ab infinitis bonis specie diuersis. Virtutes acquisitae, quae sunt habitus, non autem potentiae, multiplicari debent iuxta multiplicatam obiectorum formalium: & quia obiecta formalia fortasse sunt infinita, multiplicari possunt.

sunt finitè in infinitum, cum possint exerceri actus circa plura, & plura obiecta formalia, honesta specie diversa. De facto tamen semper sunt finitæ, cum exercentur solum actus finitos circa finita obiecta formalia.

QVÆSTIO CCXXXVI.

Virum subiectum penitentia sit voluntas?

S. Th. qu. 85. art. 4.

1. **P**rimo videtur subiectum proprium penitentia esse concupiscibilis, quæ est vna pars appetitus sensitivi. Penitentia enim est quædam tristitia de peccato commisso; sed tristitia, sicut & gaudium, est in concupiscibili, tanquam in proprio subiecto; ergo &c.

2. Secundo videtur subiectum penitentia esse irascibilis, quæ est alia pars appetitus sensitivi. Nam vt cap. 8. docet author libri de vera, & falsa penitentia apud Augustinum tom. 4. penitentia est quædam vindicta, quam penitens sumit de se ipso; sed vindicta est actus irascibilis: siquidem ira est appetitus vindictæ: ergo &c.

3. Tertio subiectum penitentia videtur esse memoria. Nam ex Aristot. lib. de memoria, & reminiscencia, cap. 1. proprium obiectum memoriæ est præteritum; sed penitentia est de præterito, hoc est de peccatis commissis: ergo &c.

4. Quarto nulla res agit, vbi non est; sed penitentia excludit peccatum ab omnibus vicibus, & potentijs animæ: ergo penitentia debet recipi in omnibus viribus, & potentijs animæ.

5. Respondeo penitentiam posse sumi, in quantum est quædam passio tristitia, quæ tristatur de peccato commisso; & in hoc sensu est in concupiscibili, tanquam in subiecto: siquidem tristitia, cum sit passio concupiscibilis, est in concupiscibili, tanquam in subiecto. Secundo penitentia potest sumi, in quantum est habitus virtutis, cuius obiectum formale est honestas operandi ad destructionem, emendationem, & compensationem peccati commissi; & in hoc sensu subiectum proprium penitentia est voluntas. Ratio est, quia vt cum Aristotle, & Sancto Thoma, aliisque communiter dixi tomo 2. quæst. 177. de iustitia, & iure, cum sint quatuor virtutes cardinales, nimirum prudentia, iustitia, temperantia, & fortitudo, subiectum proprium prudentia est intellectus practicus, subiectum proprium iustitia, quæ ordinat actiones ad alterum, est voluntas, subiectum proprium temperantia, quæ ponit modum in præcipuis passionibus concupiscibilis, est concupiscibilis, subiectum proprium fortitudinis, quæ ponit modum in præcipuis passionibus irascibi-

Tom. III.

lis, est irascibilis; sed penitentia est quædam species iustitia hominis ad Deum, vt dictum est quæst. 133.: ergo subiectum proprium penitentia est voluntas.

6. Ad 1. distinguo maiorem: penitentia, in quantum est passio, est quædam tristitia de peccato commisso, concedo; in quantum est habitus virtutis, nego; distinguo eodem pacto maiorem: & nego consequentiam. Penitentia in quantum est passio est quædam tristitia de peccato commisso, & est in concupiscibili; at in quantum est virtus, est habitus per se intendens honestatem compendiandi peccatum, & cum sit species iustitia, recipitur in voluntate, quæ est subiectum iustitia, vt explicatum est.

7. Ad 2. distinguo maiorem: vindicta, in quantum est appetitus ex passione ira, est in irascibili, concedo; in quantum est virtus ex præscripto rationis intendens punire peccata propria, est in irascibili, nego; & nego consequentiam. Penitentia dicitur vindicta, in quantum includit voluntatem puniendi peccata propria, ad illa destruenda, & sub hac ratione est virtus, & recipitur in voluntate, quæ est subiectum iustitia, vt explicatum est.

8. Ad 3. distinguo maiorem: proprium obiectum memoriæ est præteritum, ita vt sit obiectum solius memoriæ, nego; ita vt sit obiectum etiam alicuius actus, & habitus appetitivi, concedo maiorem; concedo maiorem; & nego consequentiam. Præteritum est quidem obiectum memoriæ, sed non est obiectum solius memoriæ, sed etiam aliquorum actuum, & habituum appetitiuorum, ac proinde etiam penitentia, quæ cum sit habitus appetitiuus, non potest habere pro subiecto memoriæ, quæ est facultas apprehensiva, sed debet habere pro subiecto aliquam facultatem appetitiuam, & non aliam, quam voluntatem, vt explicatum est.

9. Ad 4. distinguo maiorem: nulla res agit per informationem, vbi non est, concedo; nulla res agit per influxum, vbi non est, nego: concedo maiorem; & nego consequentiam. Virtutes actiua agunt etiam, vbi non sunt, eo pacto, quo calor, qui est in igne, producit calorem in alijs subiectis; ergo non est mirum, quod penitentia, licet sit virtus existens in voluntate, tanquam in subiecto, quæ voluntas mouet omnes alias potentias, possit agere in omnibus alijs potentijs, operando ad expellendum peccatum ab omnibus potentijs.

QVÆSTIO CCXXXVII.

Virum principium penitentia sit ex timore?

S. Th. quæst. 85. art. 5.

1. **V**idetur principium penitentia non esse timor: primo, quia principium omnium actuum supernaturalium est fides; G g sed

sed actus pœnitentiæ est supernaturalis; ergo eius principium est fides, non autem timor.

2. Secundò illud est principium pœnitentiæ, quo proposito, allicimur ad pœnitentiam; sed Matth. 4. & 5. ad pœnitentiam allicimur expectatione regni cœlorum, quæ spectat ad spem; ergo principium pœnitentiæ non est timor, sed potius spes.

3. Tertiò pœnitentia incipit à displicentia, qua peccata incipiunt homini displicere, in quantum sunt offensa Dei; sed hæc displicentia spectat ad charitatem; ergo &c.

4. Quartò vel pœnitentia inciperet à timore seruili, vel à filiali; neutrum dici potest; ergo &c.

Respondeo cum Sancto Thoma hoc art. 5. quæst. 85. quod possumus loqui, vel de habitu, vel de actibus pœnitentiæ. Si loquamur de habitu infuso pœnitentiæ, dicendum, quod principium immediatum omnium habituum infusorum est Deus, qui producit illos in nobis sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositiuè cooperantibus; siquidem adultus debet liberè se disponere ad recipiendos à Deo habitus infusos; sed pœnitentia ex dictis quæst. 235. est habitus per se infusus; ergo principium immediatum pœnitentiæ est Deus, qui habitum pœnitentiæ in iustificatione nobis infundit simul cum habitu charitatis, & virtutum moralium in adulto se liberè disponente per actus, quibus se disponit ad iustificationem. Si loquamur de habitu acquisito pœnitentiæ, principium, & causa efficiens ipsius sunt actus supernaturales pœnitentiæ, proportionaliter, ac actus sunt causa aliorum habituum acquisitorum. Superest quæstio de principio actuum pœnitentiæ, & queritur, à quo actu regulariter incipiat pœnitentia actualis in peccatoribus?

5. Dicendum, quod pœnitentia actualis incipit ab aliquo actu, quo Deus primò conuertit cor peccatoris, iuxta illud Threnorum vltimo, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*; & quia Deus primò conuertit cor per actum intellectus, quo facit, vt appareat quod latebat, & per actum voluntatis, quo facit, vt suaue fiat, quod non delectabat, ideo pœnitentia incipit ab aliquo actu non libero intellectus, quo incipit apparere aliquid supernaturale, quod latebat, & ab aliquo actu non libero voluntatis, quo incipit suaue fieri, quod non delectabat, & in istis actibus præcipuè consistit gratia præueniens, quam Deus in nobis sine nobis liberè cooperantibus operatur. Sequuntur actus, quos Deus nobiscum liberè cooperantibus operatur in nobis, & secundus est actus fidei, quo, vt loquitur Trident. sess. 6. cap. 6. *Peccator credit vera esse, quæ à Deo reuelata sunt, & illud in primis hominem à Deo iustificari posse*. Tertius actus regulariter est actus timoris, quo ex metu gehennæ incipit homo dolere de peccatis commissis, & velle illa destruere per pœnitentiam. Quartus est actus spei, quo sperat veniam, & ab hac ca-

dem spe excitatur ad procurandam veniam, per quam delectatur peccata. Quintus est motus charitatis, quo incipit peccata detestari propter se ipsa, in quantum sunt offensa Dei, & velle ipsa emendare, & delere. Sextus est timor filialis, quo qui Deum reueretur, & timet illi displicere, vult delere peccata, propter quæ displicet. Actus autem, quo vult peccata delere, emendare, & pro ipsis satisfacere, si sit ex motiuo speciali honestatis delendi peccata, est actus pœnitentiæ specialis; si sit ex motiuo alterius virtutis, est actus pœnitentiæ communiter dictæ, & spectat ad illam virtutem, ex cuius motiuo immediatè procedit. Ratio huius ordinis est, quia regulariter incipimus ab actibus imperfectis, & procedimus ad perfectos; sed imperfectissimus est actus, quo volumus peccata delere ex timore pœnæ; perfectior, quo hoc idem volumus ex spe præmij; perfectior, quo volumus peccatum delere, quia peccatum nobis displicet, in quantum est offensa Dei, & ex timore filiali displicendi Deo; ergo regulariter ad pœnitentiam perfectam, & charitate formatam procedimus hoc ordine; & sic primus, & imperfectus actus pœnitentiæ procedit ex timore seruili; vltimus, & perfectus procedit ex timore filiali, ac timor seruilis est principium mediatum, & remotum, timor filialis est principium proximum pœnitentiæ perfectæ.

6. Pro maiori explicatione huius doctrinæ Sancti Thomæ, aliqua sunt notanda. Primò debet aduerti, quod Sanctus Thomas explicat, quo ordine actuum regulariter peccator moueri solet ad pœnitentiam perfectam, & charitate formatam, abstrahendo ab hoc, quod talis pœnitentia sit, vel non sit actus virtutis specialis, de qua hæcenus egimus. Secundò debet aduerti, quod dum Sanctus Thomas dicit regulariter procedi hoc ordine, non negat aliquando pœnitentiam statim detestari peccata, in quantum sunt offensa Dei, ac proinde per actum charitatis, & timoris filialis. Tertio debet aduerti eundem serè ordinem actuum, quibus peccator mouetur ad pœnitentiam, poni à Tridentino, cum sess. 6. cap. 6. dicit. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu; & dum peccatores se esse intelligentes, à diuine iustitiæ timore, quo vtiliter concitantur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, credentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam totius iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hæc est per eam pœnitentiam, quam aut baptismum agi oportet*; ergo primus actus à Tridentino ponitur excitatio à diuina gratia; secundus fides; tertius timor diuinæ iustitiæ; quart-

quartus spes ex diuina misericordia : quintus dilectio Dei, vt totius iustitiæ fontis. Non facit mentionem Tridentinum timoris filialis, qui tamen comitari solet dilectionem, Dei, & est sextus actus positus à Sancto Thoma. Post hos sex actus sequitur actus penitentiae, qui est odium, & detestatio peccatorum.

7. Ad 1. distinguo maiorem : principium ex parte intellectus omnium actuum supernaturalium est fides, & actus, qui reducuntur ad fidem, concedo; ex parte voluntatis, nego maiorem; concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens. Dum dicimus maiorem esse principium penitentiae, asserimus principium esse ex parte voluntatis, & affectus; quia regulariter peccator incipit detestari peccata ex motiuo timoris, vt explicatum est.

8. Ad 2. concedo maiorem, & distinguo minorem: ad penitentiam excitamur expectatione regni caelorum, quæ spectat solum ad spem, nego; quæ expectatio spectat etiam ad timorem, concedo; & nego consequentiam. Expectatio regni caelorum est expectatio Christi regis venturi ad præmiandum; & puniendum, ac proinde spectat, non solum ad spem præmij, sed etiam ad timorem pænæ; ergo dum aduentus regni caelorum proponitur vt motiuum penitentiae, proponitur non solum motiuum spei, sed etiam timoris; ideoque Ioannes Baptista Matth. 3. prædicans penitentiam dixit: *Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere à ventura ira?*

9. Ad 3. nego antecedens, ac dico, quod quia regulariter penitentia incipit ab actu imperfecto, non incipit à displicentia peccatorum, in quantum sunt offensa Dei, quæ displicentia Dei est perfecta, & ex motiuo charitatis, sed incipit à displicentia peccatorum, in quantum sunt illatiua pænæ, quæ displicentia est imperfecta, & ex motiuo timoris seruilis. Quo pacto actus timoris sit honestus explicabitur infra qu. 243.

10. Ad 4. concedo maiorem, & nego minorem, ac dico, quod regulariter penitentia incipit à timore seruili, tamquam à primo motu affectus; penitentia autem perfecta, procedit à timore filiali, tanquam ab immediato, & proximo principio, vt explicatum est.

QVAESTIO CCXXXVIII.

Virum penitentia sit prima virtutum?

S. Thomas quæst. 85. art. 6.

1. Videtur penitentia esse prima virtutum: primo, quia Glossa super illud Matth. 3. *penitentiam agite*, dicit. Prima virtus est per penitentiam punire veterem hominem, & vitia odisse.

Tom. III.

2. Secundo prius est recedere à termino à quo, quam accedere ad terminum ad quem: sed penitentia est virtus, qua recedimus à malo peccati, per alias virtutes accedimus ad bonum: ergo &c.

3. Tertio nulla virtus potest introduci in animam, nisi prius expellatur peccatum; sed penitentia expellit peccatum ab anima, & sic aperit aditum alijs virtutibus: ergo penitentia præcedit ceteras virtutes, & est prima virtutum.

4. Respondeo, quod si quæramus, quænam ex virtutibus moralibus per se inuisibilis sit prima ordine temporis, dicendum quod cum omnes simul tempore infundantur cum charitate, & simul amittantur, amissa charitate, omnes sunt simul tempore, ac nulla est tempore prior, vel posterior alia. Solæ duæ virtutes theologicae, fides nimirum, & spes præcedere possunt ordine temporis charitatem, & virtutes morales, cum habitus fidei, & spei possint dari ante habitum charitatis, & possint remanere, amissa gratia, & habitu charitatis. Dum ergo quæritur de ordine virtutum secundum prius, & posterius, dubitatur de ordine actuum, & quæritur, cuius virtutis actus præcedat, vel subsequatur actum, aut habitum alterius virtutis. Respondendo quæstioni in hoc sensu.

5. Dicimus primo: actus fidei, spei, ac timoris seruilis posse, ac solere etiam tempore præcedere actum, & habitum penitentiae in adultis. Ratio est, quia ex dictis quæst. 237. peccator antequam penitentiam agat, credit, timet pœnam, & sperat veniam, & sic incipit moueri ad detestationem peccati per penitentiam.

6. Dicimus secundo, quod in iustificatione impij extra sacramentum (de hac enim sola modo agimus) actus, & habitus charitatis sunt simul tempore cum actu perfecto, & habitu penitentiae. Ratio est, quia peccator extra sacramentum non iustificatur, nisi per contritionem elicitam ex motiuo charitatis: ergo cum iustificatur, mouetur in Deum per actum charitatis, & mouetur contra peccatum per actum detestationis ex motiuo charitatis; & quia in eodem instanti, in quo elicit actum contritionis, iustificatur, acquirit simul cum gratia habitum charitatis, & omnium virtutum moralium, ac proinde etiam penitentiae.

7. Dicimus tertio, quod quia detestatio peccati causatur ex amore Dei, peccator prius natura intelligitur moueri in Deum per actum amoris, deinde in peccatum per actum penitentiae, & detestationis, ac proinde actus amoris præcedit natura actum perfectæ penitentiae.

8. Dicimus quarto penitentiam non esse primam virtutem, neque ordine temporis, neque ordine naturæ, & intentionis. Non est prima ordine temporis, quia penitentiam præcedunt tempore actus, & habitus fi-

Ggg 2 dci

De partibus pœnitentiæ.

dei, & spei, quæ sunt virtutes theologicae. Non est prior ordine naturæ, cum peccator prius natura moueatur in Deum per virtutes theologicas, quam in peccatum per detestationem ex motiuo charitatis.

9. Dicimus quinto, quod pœnitentia videtur esse prior secundum quid alijs virtutibus moralibus. Ratio est, quia in iustificatione impij post actus virtutum theologiarum sequitur actus pœnitentiæ, ac detestationis peccati.

10. Dicimus sexto, & vltimo alias virtutes per se esse priores natura, & intentione, quam pœnitentia. Ratio est, quia virtutes, quarum actus sunt per se necessarij ad perfectionem hominis, etiam nulla facta suppositione peccati, sunt priores natura, ac prius intentæ, quam virtutes, quarum actus non sunt ad perfectionem hominis necessarij, nisi ex suppositione peccati; sed actus aliarum virtutum sunt per se necessarij ad perfectionem moralem hominis, etiam nulla facta suppositione peccati, actus pœnitentiæ est solum necessarius ex suppositione peccati: ergo &c.

Confirmatur: nam quæst. 40. de sacramentis in genere, ex simili ratione diximus cum Sancto Thoma 3. parte quæst. 66. art. 4. sacramenta baptismi, confirmationis, & eucharistiæ esse priora sacramento pœnitentiæ, quia illa non supponunt peccatum, sacramentum autem pœnitentiæ supponit peccatum commissum post baptismum.

11. Ad 1. Glossa dicit pœnitentiam esse primam virtutem, quia in iustificatione actus pœnitentiæ debet præcedere actus aliarum virtutum moralium, vt explicatum est.

12. Ad 2. distingo maiorem: prius est recedere à termino à quo, quam accedere ad terminum ad quem ex parte subiecti, seu causæ materialis, concedo; ex parte agentis, & causæ finalis, nego. Agens primo, & per se intendit terminum ad quem; sed in actibus animæ primo consideratur ordo agentis, & finis, vt dicitur 2. Physic. ergo virtutes ceteræ, quæ intendunt perfectionem hominis, sunt priores natura, quam pœnitentia, quæ intendit recessum.

13. Ad 3. Pœnitentia expellit peccatum per actum charitatis, & sic aperit aditum omnibus virtutibus, sed ita, vt ipsa non intret prius in animam, quam alia virtutes, sed simul cum alijs virtutibus, quandoquidem virtutes morales simul infunduntur, vt dictum est.

POSTQVAM S. Thomas qu. 84. & 85. egit de pœnitentia, in quantum est sacramentum, & in quantum est virtus, quatuor quæstionibus sequentibus disputat de

quatuor præcipuis effectibus pœnitentiæ, & quæst. 86. agit de remissione peccati mortalis, quæst. 87. de remissione peccati venialis; quæst. 88. de extinctione peccati, per quam peccatum ita per pœnitentiam extinguitur, vt per subsequens peccatum non redeat; quæst. 89. de recuperatione gratiæ, ac virtutem infusarum, ac de reuiuiscencia meritorum. His absolutis, quæst. 90. quæ est vltima tertiæ partis, ac summæ theologice, quam morte præuentum non absoluit, incipit agere de partibus pœnitentiæ, quæ sunt contritio, confessio, & satisfactio. Nos de quatuor effectibus pœnitentiæ egimus tom. 2. lib. 6. de gratia, & iustificatione. Nam quæstione 80. 81. 83. 84. 87. & 86. egimus de remissione peccati mortalis, & venialis; quæstione 87. de totali extinctione peccati, propter quam per subsequens peccatum non redit; quæstione 88. de reuiuiscencia meritorum, ac de recuperatione gratiæ, & virtutum per pœnitentiam. Quædam etiam ad hæc spectantia explicauimus lib. 5. de actibus humanis, quæstione 35. & sequentibus. Superest igitur, vt nunc breuiter agamus de partibus pœnitentiæ, quæ sunt contritio, confessio, & satisfactio.

QVAESTIO CCXXXIX.

Proponitur doctrina Sancti Thomæ.

1. **A**rticulo primo quærit, vtum pœnitentiæ debeant assignari partes.

Respondet affirmatiuè. Ratio est, quia partes propriissimè dicuntur, in quas ex parte materiæ totum diuiditur, ideoque Aristoteles 2. Physicorum, textu 21. partes reducit ad genus causæ materialis: ex. gr. partes hominis propriissimè dicuntur caput, manus, pedes, quia homo ex parte materiæ, hoc est corporis, diuiditur in caput, manus, pedes &c. sed materia proxima, & intrinseca pœnitentiæ sunt actus pœnitentiæ, qui sunt tres, contritio nimirum, confessio, & satisfactio; ergo &c.

2. Inferitur primo cum S. Thoma in responsione ad secundum, sacramentum pœnitentiæ habere partes modo quodam speciali, quo non habent alia sacramenta. Ratio est, quia sacramentum pœnitentiæ habet pro materia